
Proponit ex Solonis authoritate. Solon neminē ante mortem beatum debere dici asserebat. N. 1. Quid Solon sibi uoluerit, inuestigandū est: alioqui nunquā,

Viuos quidem beatos esse, non mortuos: beatos tamen constanter non esse dicēdos (cùm multa possint in uita accidere, ut ex felicißimis infelicißimi reddantur:) sed tunc demum, quando beati uixerint, & in ea beatitudine (nulla interueniente calamitate) mortui fuerint. Et hæc est genuina Solonis sententia. circa quam tamen grauis oritur dubitatio. Vt enim concedamus, Beatum

Reduncere ut cùm per se suaq; uirtute feliciter uitam exegerint, & honestè mortui sint, nūc aliena culpa infelices reddantur.



1073

A

u

# REVERENDI IN CHRISTO PATRIS, LANCELOTI, EPISCOPI VVINTONIENSIS,

## *OPVSCVLA QVÆDAM* POSTHVMA.




*LONDINI,*
Excudebat *Felix Kyngston* pro *R. B.*
& *Andreæ Hebb.* 1629.

# TWO ANSWERS TO CARDINALL PERRON, AND TWO SPEECHES IN THE STARR-CHAMBER:

BY

THE RIGHT REVEREND FATHER IN GOD, LANCELOT, LATE Bishop of *Winchester*.




*LONDON*,
Printed by *F. K.* for *Richard Badger* and *Andrew Hebb.* 1629.



# SERENISSIMO, POTENTISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO NOSTRO, *CAROLO*, DEI GRATIA, MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, & HIBERNIÆ REGI, *Fidei Defensori, &c.*

Serenissime PRINCIPVM,

S*Cripta hæc* Reverendi Præsulis, *ne tenebris perpetuis sepulta jacerent, Cura Tua fuit. Ea utilitati simul & honori tum* Ecclesiæ, *tum* Reipublicæ *futura, nos iussu Tuo publici juris fecimus. Concionum quidem quas Ille fœlicissimo ingenio elucubratas perpolivit, volumen satis amplum, eodem jussu fulti, nuperrimè in lucem dedimus. Fausto illud pede Imperij tui spatia peragret: doceat simul & consoletur: Sed ejus limites ne egrediatur,*

*tur, lingua, quâ uſus eſt, vernacula obſtat. Hoc nunc volumine pauciora, nec minora tamen, damus: ex uſu certè publico futura magis. Nam dum hic fere omnia* habitu Romano *induta, non quidem faſtuoſè, ſed graviter incedunt; ad exteras etiam Gentes nomen* Auctoris *celeberrimum quidni deferant?* Conciones *etiam inter hæc nonnullæ ſunt.* Tractatus *alij qui ſunt, Pauci quidem illi, nec ultimâ manu* Venerandi Senis *omnes expoliti, Luce tamen non indigni, prodeunt. Nam ut omnia hic adeo perfecta & elimata ſint, ut non* Auctor *ipſe, ſi ſuperſtes edidiſſet, multa mutaturus aut additurus fuerit, ut nos præſtare nolumus, ita nec volumus* Lectorem *expectare. Illud quidem nobis curæ fuit, ne quicquam prodiret, cujus occaſione* ſancti manes *queri jure poſſent, famæ ſuæ apud poſteros malè conſultum à nobis eſſe. Neque veremur, ut hic quicquam* Lector *prudens & cordatus reperiat, quô carere, quàm vel ſic frui malit. Quanquam autem & hæc ipſa, quæ repræſentamus; pleraq; junior adhuc ſcripſerit. Si quæ tamen cruda ni-*

*mis*

*mis & indigesta fuerunt, quæ jam Senex acri pensata judicio rejecit, in iis* Auctoris *ipsius judicio acquievimus. Neque enim æquum fuit, qui* Cœli *iam summa scanderit, eum ad* Carceres *denuo revocare, & nomen Orbi notißimum tyrocynij sui rudimentis obscurare velle.*

*Erunt fortasse qui mirentur, cur non alia, cur non & plura scripserit* Vir summus: *Quod tamen qui faciunt, illum certè haud satis nôrant. Sapientiâ quidem, si quis alius, præcelluit* Hic noster. *Qui tamen ut ad Invidiam doctus, ita mirè pauciloquus fuit. Nec lingua ei defuit expedita satis, nec acumen styli: sed acri judicio utráque ita temperata fuêre, ut non nisi lentè & cunctanter, aut ad dicendum, aut ad scribendum accederet. Non quia* non potuit, *sed quia* noluit *aliter. Hujus enim sive tarditatis, sive moræ, non ingenij hebetudo aliqua, sed cautio nimia & pensitatio in causâ fuit.* Ad pauca respicientes facilè pronunciant, *ut verè* philosophorum Princeps; *& qui non omnia prius examinant, & expendunt acriter, eo*

*ipſo quandoque plura quàm par eſt, & loquuntur & ſcribunt. Jlle verò dum omnia penitiùs undique introſpicit, perſpecta librat, librata circumcîdit undique, ne vana & futilia, ne laxa & hiulca, ne vel nimia vel jeiuna nimis* Lectori *tædio ac faſtidio forent, ſcriptorum paucitate contentus fuit; & de quibus non facilè iudicavit, ea non niſi difficulter prodire paſſus eſt.*

*Si quis quærat inſuper, cur hæc & non alia ſibi ad ſcribendum delegerit; Huic ſi non ſatis fuerit reſpondiſſe, è re natâ accidiſſe hoc, ac prout occaſio tulit, ipſum* Auctorem *conveniat oportet, cauſam veram ac legitimam ſciſcitaturus. Et certè inter hæc nonnulla eſſe, quæ ex oblata occaſione ſcripſerit, aſſerere non dubitamus, & res ipſa indicat. Nam* literæ *à* PETRO MOLINÆO, *Theologo non indocto, & acuto ſatis, ad illum ſcriptæ, in causâ fuere, cur tam graviter, tam ſolidè, ac doctè, de* Ordine Epiſcopali, *paucis licet, reſponderit.* Velitationis *cum* PERONIO, Prioris *quidem auctor illi & impulſor, Beatiſſ*[æ]*. memoriæ* REX Majeſtatis

Veſtræ

Veſtræ Parens; Poſterioris *autem*, *prima ab ipſo* Cardinale *occaſio*, *qui noſtrum in ſuis ſcriptis integro & elaborato* capite *aggreſſus fuerat: quod ille* Caput *ſummo judicio & acumine pari refutavit.*

*Aliam ſi quis velit cauſam, cur Vir doctiſſimus nec alia voluerit nec plura ſcribere; Is ſecum* temporum *in quæ incidimus iniquitatem reputet, & ni fallimur, inveniet.* Temporum *dicimus, quibus ſcripta ſi non ad publicum ſaporem temperata, quò doctiora, quò ſanctiora ſunt, eò minùs placent. Illa autem (quod certè vidit acutiſſimùs Senex;) quæ* Auctores *ſuos, quin & ipſum* Seculum *apud omnes ſobriè & ſeverè doctos infamant & dedecorant, eidem jam* ægrotanti Seculo *longè ſunt acceptiſſima.* Mores enim præcipites cum eant, nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus; *& Medicina vel ſcripta non placet. Nec mirum ſimiles ſi ſimilia delectent. Et qui benè nôrit ſeculi tam infruniti* labra, *operam ſimul & oleum perdere videretur, ſi alias eis pararet*

Lactucas, *quàm qualis terra inculta profert. Noluit certè Vir gravis (quod olim monuit*
Ep.3.ad Ruſt. *Sanctus* Hieronymus) ad ſcribendum citò proſilire, ne levi duceretur inſaniâ: *ſi tamen levis ea dicenda ſit, quæ nunc ſcriptorum vulgus agitat. Sed inde profectò fundi noſtri calamitas, quòd tenet inſanabile multos ſcribendi Cacoethes, quòd ſcribimus indocti quicquid in buccam venit, quicquid ſub manu naſcitur. Inde tanta ubique librorum turba, ut vel paucioribus ac brevioribus doctiorum ſcriptis vix ſuperſit locus. Et hoc quoque de*
Lib.3.Confeſſ. cap.6. Manichæis *obſervavit olim* Sanctus Auguſtinus, quòd libros ſcriberent & multos & ingentes, *ac ſi hoc etiam in fatis fuiſſet,* ut is doctiſſimus evaderet, qui copioſiſſimè deliraret. *Neque tamen hîc induſtriam cujuſquam ſugillatum imus, ſit ſanè qualem cupimus & vovemus, Sed hoc eſt quod optamus maximè, nec ſperamus tamen, ut æ*tas *hæc tandem aliquandò ſobriè ſapiat, nec in ſuum ipſius dedecus, & poſterorum damnum,* libros nihili (*ne quid gravius dicamus.*)

*mus ) unde nec doctior quis nec melior fiat, aut ſcribat, aut foveat ſcriptos. Imò deferat potius* in vicum vendentem thus. *Ibi enim benè ſaltem olere diſcent, dum thuris piperiſve cuculli fient, qui nullius ære digni ſunt libri.*

*Unicum eſt quod reſtat, Nempe ut ſi quæ in hoc opere ſeveriora videntur, (videntur autem alicubi nonnulla:) ſcire dignetur* Majeſtas Veſtra, Saturnum hunc noſtrum, *vividi ingenij ac perſpicacis* Senem, *Veritatem vultu proprio ac ſuo contemplatum fuiſſe, id eſt, gravi ac ſevero. At tamen, ut quidam ſunt* planetæ *minuti (ita nonnullis placet:) qui circa* Saturnum *errantes ludunt Ita &* Hic noſter *non ſemper & ubique pari* ſupercilio *frontem contrahit. Sæpè etiam* Gratijs *litantem videre licet, & in re ſeriâ, decenter quidem, ſed ludentem tamen. Et in his etiam, ſui ita ubique ſimilis eſt, ut facile ſit videre, quàm nullo negotio quoties libuit, & è re fuit, vel induere potuerit, vel exuere* Catonem.

*Quod reliquum eſt,* Sacratiſsimam M^em^. V^m^. *oratã cupimus, ut hæc qualia qualia ſint, veluti reliquias* Sanctiſsimi Præſulis *in ſinu* Suo *fovere dignetur. Sũt hîc paucis multa, ſed quæ vix pauci pluribus exæquent. Quò pauciora ſunt, eò citiùs, ſed & ſæpius poſſunt legi. Quò ſæpius legi, eò plus eſt, quod inde diſcatur. Diſcentur autem, tum quæ* Superſtitionem *profligent, tum quæ menti erudiendæ atque componendæ inſerviant. Dum vixit, non habuit* Regia M^s^. V^a^. Servum *fidelem magis: nõ habuit* Eccleſia Antiſtitem *magis eruditum. Nunc mortuus per nos orat, ut dum illi nemo* Sepulchri monumentũ *parare ſatagit, hoc ſaltem monumentum, quod hîc ponimus, propriâ ipſius manu, dum viveret, ingenioſè fabricatum,* Regio Veſtro Patrocinio, *intactum maneat & intemeratum. Apud poſteros in* Eccleſiâ *hac tanti Viri,* an cura erit aliqua neſcimus. Illius certè ſcripta, dum erunt homines, nõ deſinent mereri ut ſint aliqua. *Nos interim hoc Officio functi id egimus, quantum in nobis eſt,*

Plin. li 9. Ep. 14.

*ut*

*ut inter doctos viveret. Faxit Deus, ut* Episcopi *moribus doctrináque, si non pares, similes tamen, deinceps oneri succedant Episcopali; Ut inde pax* Ecclesiæ, *salus* Reip. *bona prosperáque omnia* M^ti^. V^æ^. *cumulatissimè eveniant.*

*Serenissimæ M^tis^. Vestræ*

*humillimi simul & devinctissimi,*

*Subditi Serviq;*

Guil: London:
Io: Eliens:



# CONCIO AD CLERVM PRO GRADV DOCTORIS, &c.

PROV. CAP. XX. VER. XXV.

Laqueus *est homini* devorare Sacra.



T *quem ad finem à* DEO *destinatus est Illius* Sermo, *cum in nobis finem sortiatur hoc tempore, totaque hæc actio nostra cum fructu sit, invitemus huc* NVMEN *precibus nostris* (Patres *&* Fratres *in* CHRISTO *venerandi:*) *Agnitâ primò ex intimis sensibus indignitate nostra, etiam vel* accedendi *ad Eum, nedum* orandi, *ac multò adhuc minus* exorandi *quicquam. Quin totam* dignitatem *nostram, ex* dignatione FILII sui, *totamque &* orandi fiduciam, *&* exorandi *spem ab illius* intercessione *pendere. Per Eum, deprecemur pœnam hodiernam pristinæ nostræ, & pro* Verbo ingratitudini, *& in* Verbo oscitantiæ, *meritissimò debitam. Precemur, ut præveniat nos hodiè* Gratia SPIRITVS sui, *& quod utiliter meditatum est* Cor *meum, perducat in* Linguam *meam, inde in* aures *vestras, inde in* corda *vestra, inde in* vitam, studia, mores *vestros, ad nostram omnium* salutem, *Illiusque* gloriam *sempiternam.*

*Ac, ne immemores simus* Ecclesiæ CHRISTI *in precibus nostris, quæ ipsa nostri nunquam est immemor in suis, intercedamus apud indulgentissimum* PATREM, *pro* Ecclesiâ *Ipsius in terris* militante, *pérque omnes terras & Regiones disseminatâ. Conservet ei* DEVS *recuperatam non ita pridem, ex densissimis errorum tenebris* Veritatem *suam: Restituat ei, cum Ei visum fuerit, amissam jam penè, per* Christiani Orbis dissidia, Vnitatem *Suam.*

*Ac quæ pars, in eâ, votis nostris indiget, vel maximè, eam præter suprâque cæteras, non sine gemitu commendemus. Partem dico ejus, sive* externâ cruce *pro testimonio* conscientiæ bonæ, *sive* internâ *pro testimonio* malæ, *afflictam & oppressam. Precemur eis calamitatum suarum fælicem exitum; ac interim, dum exitus in incerto est, patientiam quanta sat erit ad cruces suas leniter (vt decet) constantérque perferendas.*

*Pro* Ecclesiæ *parte Pace florenti: nominatim, pro* Anglicanâ *hac nostrâ. Det nobis, diem agnoscere* visitationis *nostræ, & dignè ambulare* Misericordiâ *Illius tantâ, quantam nos quidem, at ante nos, nulla usquam Gens, nulla Ætas experta est.*

*Pro* Ecclesiæ nostræ Reipublicæque *Membro primario,* Serenissimâ Regiâ MAIESTATE, *omnibus tanto Loco, tanti Loci Præside dignis virtutibus, ornandâ cumulandâque. Vt in* Regno *hoc Ejus,* Regnum CHRISTI *magis indies magísque propagetur: Vtque Illi,* DEI *omnia tam sint curæ atque cordi, quàm Ille eam sibi cordi atque curæ esse, argumentis plurimis, maximis, pristinis, novissimis, confirmavit.*

*Pro* Regni Proceribus Nobilissimis viris: *ijs præsertim qui* Regiæ MAIESTATI *à* Consilijs *sunt; quibus (uti diu fecit)* DEVS *pergat suggerere quæcunque* Ecclesiæ *hujus Regnique Paci, vel salutaria sunt, vt agantur, vel noxia, ut arceantur.*

*Pro* Clero Anglicano; *cui cum omnia fausta optare cupio, quid aliud optem à* DOMINO, *quàm* idem *semel* sapere *&* sentire *in omnibus?*

*Pro* Magistratu *nostro, ut castè integréque versentur in suo Munere: neve* Iustitiam *mutent in* absynthium, *corruptâ Causarum dijudicatione; neve in* acetum *etiam, prolixâ earum & diutinâ suspensione.*

*Pro* Populo, *&* Regni *parte infimâ (sic est, sed tamen pretiosâ, emptâ nempe pretioso* IESV CHRISTI *sanguine:) ut & audiant quos habent, & habeant quos audiant, Viros ad docendum idoneos, tam in præsens, quàm in futurum.*

*Id ut ita sit, perpetuóque sit, & succrescat indies magna* Eruditorum *Manus, quanta satis sit, &* Causarum *æquitati, &* corporum *sanitati, &* animarum *saluti procurandæ,* DEVM *precemur, ut Bonus Fælixque adsit* Scholis *quæ uspiam sunt omnibus; Vtrique* Academiæ, *ac inprimis nostræ huic, ejusque* Magistratibus *universis; Honoratissimo Viro* Quæstori Regni, Cancellario *nostro; Ornatissimo Domino Pro-cancellario, Dominis* Procuratoribus *&* Taxatoribus, *cæterisque, qui ullo apud nos funguntur munere.*

*Postremò, ut plenâ manu benedictiones suas effundat in* Collegia *nostra; ac, quò me vocat officij ratio singularis, in* Aulam Pembrochianam *illiusque Cætum universum: ut memores* Majorum *nostrorum, qui illustres semper in hâc* Ecclesiâ *extiterunt, eorum imitemur* industriam, *considerantes qui fuerit* Exitus *conversationis eorum.*

*Pro hisce omnibus (* Patres & Fratres *) supplices offeramus* CHRISTO Intercessori *nostro, Suam ipsius* Orationem, PATRI *Suo nostris nominibus offerendam, ut Ille nobis hæc, tum alia præter hæc, quæcunque nostrûm cuique necessaria sunt, quàm benignissimè largiatur.*

Pater noster, &c.

---

IAm inde à Capite decimo, quæ hîc sparsim leguntur *Proverbia*, receptum est inter *Theologos*, absque methodo esse, nec perpetuo tenore scripta, ut priora *novem*, à SALOMONE: Sed alia alijs temporibus, uti res ferebat & tempus, prolata à *Rege*, ab astantibus observata, pòst literis Librísque, non sine fructu quidem, sed tamen sine ordine, consignata.

Ac alijs quidem efferendis, occasiones aliæ (nec enim temerè quicquam aut intempestivè vir tantus:) huic nostro verò, quæ fuerit ansa, cui responsum, quâ occasione prola-

tum, non perinde liquet. Quid enim? Nec inter δημοβόρους Βασιλείας erat SALOMON, nec (quod peræquè infame eſt) inter κληροβόρους. Nemo illo, in *Res Sacras* munificentior; nemo à *Sacris alienandis* alienior. Et vnde Ei, aut quid cum *Sacrilegis* & *votifragis*, quos deſignat hic Verſus? Ecquis, SALOMONIS ſeculo, fuit *OEſophagus* tam ſacer, ut ei *res conſecratas* pro bolo eſſe oporteret? Ecquis, eo ſeculo, tantus *Sacrorum* hoſtis, vt ea *devorare*; tantus *votorum*, vt ea *violare* vellet? Ita videtur: Et ſanè eò res redit, ut exiſtiment qui inter *Interpretes* non poſtremi mihi ſunt, ita fuiſſe, & quorum non pauci ſunt noſtrâ hac, eorum nonnullos, eâ ætate, extitiſſe. Reſponſumque hoc pium & prudens, pij & prudentis *Regis*, ad Suaſores quoſdam, qui hoc illi inducere volebant in animum, Ea quæ à Patre eius, à SAVLE & SAMVELE, data & dicata fuerunt, ac ſepoſita tum in *apothecis*, ædificando *Templo*, poſſe *abalienari* atque inſumi in nequitias *aulicas*.

Paulò rem repetam altius.

DAVIDI (quem Sacræ Literæ paululùm deflexâ voce, DEI *Corculum* dixere,) eam mentem DEVS dederat, Viro ex mente Suâ, vt incongruum judicaret, Pacatis iam bello-
2.Sam.7.2. rum tempeſtatibus, *Cedro* Se, *Arcam* verò DEI *cortinis* habitare. Et eſt ſanè iniquum poſtulatum quorundam hominum, vt nihilò ampliore ſtatu ſit *Eccleſia* iam ſub pace florens,
Phil. 4. 12. quàm fuit olim, ſub cruce afflicta; nunquam περισσεύειν, ſemper ὑστερεῖσθαι. Pars eſt Templo ſua in rebus proſperis: Sic DAVID, ſic cum DAVIDE pij omnes. Bello quidem, & impeditis temporibus, pellibus caprinis contentum eſſe: Pace verò, & ſolutis, magis tabulata *Cedrina* poſtulare. Eò igitur ſe dare DAVID, ac totum incumbere; ac præter *votiva* multa
1.Chron. 26. 27. à SAVLE, ABNERO, SAMVELE jam ante, hunc in finem recōdita, ab ipſo autem ſanctiſſimè fideliſſiméq; conſervata, & *cedros*, & *marmora*, & *gemmas*, & *metalla*, de ſuo inſuper largitum eſſe. Nec id parcè aut malignè: *Talenta* enim *auri* 3000; *argenti* 7000 erogâſſe. Nec eo contentum, Regni quoque *Proceres*, partim exemplo, partim hortatu, eò impuliſſe, vt & ij quoque voti ſe ſimilis reos facerent. Quorum munificentiâ 5000 *auri* talentorum, 10000 *argenti*, &

*æris*

*æris* pondo 18000, *ferri* 100000 accessionem esse factam. Accessionem (inquam) tam illustrem, vt quod memoriâ nostrâ accidit in decessione ab *Ecclesiâ*, id tum in accessione ad *Ecclesiam*, opus fuerit *Curiâ* quadam *Augmentationum*; cui GEHIELEM quendam *Præpositum* fuisse *Chronica* testantur, *Lib.* 1. *C.* 29. *v.* 8.

Hanc *auri* vim tantam & *argenti*, cum SALOMONI filio, jam moriens, ad *Templi* structuram tradidisset, eáque adhuc esset in *Ærario*, nec dum in *Templum* importata; extitisse quosdam *Palatij Sorices* (fortè IEROBOAM, & eius furfuris alios;) qui suaderent *Regi*, quod illi apud [a] Prophetam, DEI *domum laquearibus carere posse*; quod ille apud [b] Evangelistam, CHRISTI *caput nardo carere posse, Vt quid perditio hæc?* proin addiceret illa *Fisco* suo, cui illa multò aptiora quàm *Templo*; in eumque finem paratos esse se, inquirere in *vota* SAVLIS & ABNERI, ac (quod facilè fit) nodos aliquos aliunde reperire, quò *vota* ne *vota* sint. Non valuisse quidem eos apud *Regem* cordatum, sed fuisse tamen ejusmodi monitores; hancque huius Versus occasionem fuisse, nec *Commentatores Hebræos* coniecturâ suâ valdè aberrâsse, mihi verisimile sit. Non valuisse (inquam) eos, indicat hic versus, qui apud pios & SALOMONI similes *Principes*, æternùm occludet os petitioni isti: Et id quoque indicat, cur non valuerit: *Laqueum* enim sibi certum fore, *exitium* Regno suo, si hoc tantum Scelus admitteret. Esse quidem escam hanc illecebrosam satis, sed circundari ei *laqueum* inexplicabilem.

[a] *Agg.* 1. 4.
[b] *Mar.* 14. 4.

Verba videris quò spectent, (& ipsa se primâ fronte produnt:) ad Sacrum scilicet *Patrimonium* conservandum, ad arcendas ab eo *sacrilegas* manus, & ad *dentes*, qui *Sacra devorant*, obstupefaciendos. Quod vtinam persuasum foret Sæculo huic nostro, in quo pessimus mos invaluit, isq; manat indies latiùs, *Sacra attrectandi*: in quo accessiones ad *Clerum* nullæ, (vtinam id tantùm) crebræ imminutiones sunt: Crebræ (inquam) imminutiones sunt; atq; vtinam id tantùm contingat dicere, *Sunt*; nec causa sit vnquam *futuri temporis* vsurpandi: In quo (liberam vocem emittam) præ *Sacrâ auri fame* nihil est *Sacrum*: In quo, *Sacrorum* restauratio, prætextus *Sacrilegij*.

Ad hoc autem sæculi nostri ingenium accedit & error alter, quòd *Illustres* illi *viri*, nec vnquam sine summâ honoris præfatione nominandi, quorum Devs, in *Religione* restaurandâ, operâ usus est, de *Doctrinæ* restitutione valdè solliciti, ad *Patrimonium* minùs attenderint; ac id penè dixerint diverso sensu, quod *Sodomarum Rex*, Abrahamo, *Date nobis animas, cætera vobis tollite.* Verùm, ut illi qui Baptistam; ita & hij qui se Abrahamvm se in *Aulis Principum*, reperturos sperabant, vtrique falsi sunt.

Qui error etsi levis sit; (& est certè levis, si ad magna illa illorum κατορθώματα conferatur;) tamen verendum est, ni sistatur, ne graviter incumbat sequenti sæculo; in quo cordati viri (ex illo Salomonis, *Penuria Boum, ubi præsepe vacuum,*) vel Barbariem, vel aliud quod dicere nolo, augurantur: falsò quidem fortasse, idque faxit Devs;) sed non temerè tamen augurantur. Omnino, nisi deseri stationes has, squalere hunc Ordinem, ruere *Res Sacras* & retro sublapsas referri volumus, intercedamus oportet pro *patrimonio*; inungamus quod reliquum est, hoc tam amaro succo; monstremus eis *laqueum*, in quem se conantur induere; nec licere eis quod quotidie moliuntur, nisi & Versum hunc de Sacris Literis delere liceat.

Nec ego ista pro vulgi concione dicerem: sed soli jam sumus; & vel hîc hodiè, vel nusquam dicenda sunt. Ac me quidem (vt, quod res est, fatear;) labes hæc sæculi nostri malè habet, quòd sic *Sacra deuorantur*: (Quanquam erant, omnino erant, & Salomonis quoque sæculo, quorum ad ea dentes pruriebant:) At illud magis, quòd nos illa sic absumi quotidie tepidi & tacentes videmus, quòd de*voramus deuorationes* has, & (quod queritur Apostolus;) *Si quis nos exedat, si quis ad mendicitatem redigat, sustinemus:* Omnium verò pessimè illud, quòd *nos ipsi nos ipsos* (quod fit,) *Cleroboris* his comedendos quotidiè bibendosque propinamus. Non sic fiet quod volumus, non fiet sanè. Votum multorum est, & meum cum multis, *Clerus* per omnia *doctus docensque*. Fiat Domine Iesv, fiat cito: Votum enim sanctum atque salubre est: Sed enim si *Sacra* nostra sic arrosa,

arrosa, arrasa, semesa, exesa patimur, Votum inane & irritum. PHARAONIS dementia fuit hæc: Sacrificatum voluit DOMINO; verùm non pecudem vllam, non armentum educi. Noster hic error est: demens error. Illi in castris prudentiùs: Primùm de *Commeatu* prospiciendum, pòst de *milite*. At nos *milites* indies conscribimus multos, fortes, bonos: *Commeatum* eis nec comportamus, & qui jam est, quotidie exportari sinimus; & (quod ego non semel miratus sum in nostris hominibus;) perpetuò de *luminis accensione*, vix vnquam de *Olei affusione* verba facimus. Nobis verò, quàm de *lychno*, tam de *oleo* instituendus sermo est; intercedendum sæpiùs, vehementiùs, pro *Sacro Aerario*, eò perducendi homines nostri, quò SALOMON perduxit suos, vt religio sit illis, *religiosum* quicquam attingere; vt jejunare malint, quàm *res Sacras* prandere; vt strangulari se putent, si *Sacrum* quid vel imprudentes transmiserint. Id si fiat (quæso autem vos, *Viri Fratres*, vt fiat) Sperabo dies, quales sub SALOMONE: Sin autem; Sed nolo quid tristiùs ominari. Pergo ad institutum.

Versum ego hunc, uti ipse se findit, in duas partes dividam: [1] Alteram de *Sacris* non *devorandis*: [2] De *Votis* anxiè non *disquirendis*, alteram.

Priorem verò, quò distinctè progrediar, tria in membra dividam. 2

1. Quæ illa sint quæ SALOMONI *Sacra* habentur.
2. Qui illi sint, qui ea *devorent*.
3. Qui *devoraverint*, eos se gravis *Sceleris* nexu, quasi *tendiculâ* quadam irretire.

I

DE primo. SALOMONI *Sacra* est, hoc Capite, ea *Substantiæ* pars, quâ (*Capite III. ver. IX.*) DEVM *Se velle* dixit *honorari*. Nec enim AVGVSTO soli potestas *describendi Orbis*; & DEO quoque *descriptio* sua; nempe ex pleno jure in facultates nostras. Quod ne cui dubium esset, aut obscurum, duplicem sub *Lege monetam* cudi voluit; [1] Alteram *Principis gladio* & *Sceptro* percussam: [2] Alteram, AARONIS *virgâ* & *vrnâ*. Ex eo, *Principi censum* suum, qui De *Sacris* non *devorandis*.

nos

nos *Sceptro* contra *lites*, *gladio* contra *hostes* protegeret: Ex hoc *Sacerdoti* suum, cujus nos operâ è succîsis atque aridis lignis denuò reviviscere, redivivos *mannâ* cœlesti pasci voluit ad vitam æternam. Vtrumque PATER edixit, utrumque FILIVS pendit: Tum *Templo columbas suas*; Tum *Principi didrachma* sua. Prius illud *sacrum vectigal* est.

I Quæ *Sacra* dicuntur. Quâ de re si paulò magis exactè cognoscere velitis, sic habete. *Quatuor* omnino esse, quæ in *Sacris Literis Sacra* perhibentur.

1 E quibus mihi primum sit, cujus gratiâ tria reliqua sanctificata sunt: *Primitias* dico SPIRITVS; Nempe *Sanctitatem* ipsam, quâ initiatos esse oportet, qui in *Sacram* & *cœlestem Hierosolymam* intromittendi sunt. Encomium DEI est in ore *Angelorum* (Sic illi, Sic nos DEO) *Esaiæ VI. III. Sanctus, Sanctus, Sanctus.* DEVS verò nobis sic sub *Lege*; *Sancti estote, quia ego Sanctus. Levit. XX. VII. Sub Evangelio:*
1. Thes. 4. 3. *Hæc est voluntas* DEI, *sanctificatio vestra. Voluntas hæc* DEI, eadem & nostra esse debet. Cum *Ecclesiam* suam (quæ
a Eph. 1. 4. sumus nos) & [a] *elegerit* PATER *ante sæculum*, & [b] *redemerit*
b Eph. 5. 26. FILIVS à *sæculo*, & [c] *unxerit* SPIRITVS in *sæculo*. Primum
c 1. Io. 2. 20. habetis *Sanctificationem* nostram.

2 Huic verò in nobis procreandæ primùm, dein propagandæ, secundum *sacrorum* genus sanctificavit: *Media* nempe quatuor, [1] *Verbum*, [2] *Orationem*, 3 *Symbola*, 4 *Censuras*.
Io. 17. 17. 1. *Verbum* verò ante cætera, *Sanctifica eos in veritate, Verbum tuum Veritas.* 2. Quîcum *oratio* copulata: *Sancti-*
1. Tim. 4. 5. *ficantur in Verbo & Oratione.* 3. Dein *Signa* quoque *Sacra*: Et *Lavacri*, ad EPHES. *V.* & *Eucharistiæ*, HEB. *XIII.* 4. Postremò *Censuræ* quoque: Eas rem *Sanctam* scivit CHRI-
Mat. 7. 6. STVS, nec *canibus proijciendam*; Sanctificatas scilicet à Se, hominibus tum in officio continendis, tum ad officium revocandis. Secundum habetis; *Media sacra.*

3 Porrò *Medijs* hijs exercendis, & (cui destinavit usui) applicandis, tertium *Sacrorum* genus *Sacro-sanctum* esse voluit. Triplex illud est: 1 *Loci vbi*, 2 *Temporis quando*, 3 *Personæ per quam* administrari debeant.

1. *Loci*, quem propterea *Sanctum*, adeóque *Sanctuarium* appellavit.

appellavit. 2. *Temporis*; quod propterea dicit *Diem San-* *Mat.24.15.*
*ctum* DOMINI. 3. *Perſonæ,* quam propterea Virum ſan- *Eſa.58.13.* *Deu.33.8.*
ctum ſuum *nominavit.* Tertium habetis.

*Perſonis* verò hijs ſic in re divinâ occupatis, & præ *ſacris* 4
rebus ſuas res poſthabentibus, ad victum cultumque, quartum *Sacrorum* genus conſecratum eſt *Sacrorum vectigalium.* Optimè rem totam complexus eſt *Rex* optimus *Ezechias,* *2.Chro.31.4.* Quò *Legis* ſtudio ſtrenuè incumbant, Oportere illis decerni commodam *portionem.* Ea porrò *portio* ut *ſacra* cenſeretur, de DEI ſententiâ lata *lex:* Tum ſub *Lege*, Populus ſic docetur loqui; *Suſtuli rem ſacram è domo meâ,* id eſt, *Sacrum* fateri *Deu.26.13.* *vectigal* illud, quod *Levitæ* penditur: Tum ſub *Euangelio*; ubi, ea non modò quibus operamur, ſed ea quoque quibus *veſcimur*, PAVLO cenſentur ἱερὰ ἐκ τοῦ ἱεροῦ. *1.Cor.9.13.*

En vobis quadruplex *Sacrorum* genus, alterum ex altero natum, ac alterum alteri conſervando deſtinatum: [1] *Sacri Mores,* [2] *Sacra Media,* 3 *Sacræ Perſonæ,* 4 *Sacri Redditus.* De quarto hoc agitur. Tribus namque illis nemo inhiare, nemo dentem imprimere: vltimum hoc illud eſt; illud, illud (inquam) eſt, cui parant dentem & ventrem. Quanquam (quod mox doceo) unus bolus, unus hauſtus eſt omnium. Omnino arcto hæc inter ſe nexu devinciuntur, *Sacri Proventus, ſacræ Perſonæ, ſacra Media, ſacri Mores.* Neque *Mores ſancti* ſine *Medijs* debitis; Neque *Media* debita ſine *Perſonis* idoneis; Neque *Perſonas* idoneas ſine luculentis *proventibus* retinere fas eſt.

SALOMONIS ergo *Sacra, vectigalia* ſunt. Sed quænam illa, aut unde? dicam hoc quoque. Diffuſa illa quidem per *Sacras Literas*, ſed ad duo ferè capita reducuntur, [1] *Oblationis,* & [2] *Indictionis.*

1. *Oblationis,* vel *uotivæ,* vel [2] *Voluntariæ:* illud נדר hoc נדבה *Hebræi* dixere. Incurrunt hæc in membrum ſecundum; non perſequor. Id tantùm dico: *Diploma* datum *Eccleſiæ*, cujus vi libertas cuique *alienandi* res ſuas ad *Sacros uſus*, idque ſeu *ſponte*, ſeu *voti* vi, Tum *perſonam*; Tum *Iumentum*, mundum vel immundū gregale vel armentarium; Tum *ædes fundoſque,* *Lev.27.* ſeu hæreditarij eſſent, ſeu emptitij. Idem indultum mane-

re sub *Evangelio,* Ponendi, cuique, quid, quantum vellet, Act.4.35. de ſuo, ad pedes *Apoſtolorum*, id eſt, dandi, donandi, dicandi, conſecrandi res ſuas.

2 Ad *Indictionem* venio, quæ ſtataria eſt. Et verò ſic ſit oportet, ne ſi refrigeſcant illa *Spontanea*, & vacuus reperiatur (vt ferè reperitur) *Cippus Eccleſiæ*, cum nulla *Manna* pluvia jam ſit, ſtrenuè eſuriant. Difficili de re dicturus ſum, & (quod me malè habet,) breviter dicturus. Certum eſt, eſſe in cujuſque *ſubſtantiâ* portionem aliquam *ſacram*. Illud ſpiſ-Gen.14. ſius; *quæ* illa ſit vel *quota*. *Pater fidelium*, ABRAHAMVS, (per omnia filijs ſuis, vbi & quantum datur imitandus) indixit ſibi *Decimam*, *Levitico* nondum ſcripto. Vnde hoc, aut quis expedivit illi *menſuram Divinæ portionis*? Non dubium, quin SPIRITVS SANCTVS tam *ſancto* viro. Idem ille SPIRITVS, qui quod antè occultè dictârat ABRAHAMO, pòſt diſertâ lege cavit de hâc & non aliâ *portione*, *Sacratis* à Num.18.21. Se *Perſonis* perſolvendâ. Ac alijs totum hoc *cæremoniale* videri ſolet, vt hodie ſunt omnia quæ pulſant *crumenam*. Portionem aliquam *Iuris naturalis* eſſe, tantam *poſitivi* alij non dant. Quàm enim fuit de *Levitarum* victu ſollicitus, tàm fuiſſe de noſtro. Ibi *poſitivo Iuri* reſervatum nihil; ne hîc quidem igitur: hucque illud aſtruunt è *Matthæi* XXIII. Δεῖ μὴ ἀφιέναι. Ego concionatum hodiè, non diſputatum venio: Quare recipio me ad receptam magis opinionem, Vim habere ab *indictione Eccleſiæ*. Nam quæ fuit olim penes *Eccleſiam* poteſtas inſtituendi ſibi *Præcepta*, ac imponen-Nehe.10.33. di *Siclum*, *ſiclive trientem*, ad *cultum Domus divinæ*, manet e-Act.11. adem nunc quoque ſub *Evangelio*, vbi & ἐντολὰς reperias & διαταγὰς, id eſt, *Decreta*, & *Edicta*: eaſque non modò, quod 1.Cor.16. PAVLVS ipſe refert, ad *eleemoſynas* pauperum, ſed etiam ad Act.24.17. προσφορὰς *Sacrorum*. Ergo cum edicto cavere vellet *Eccleſia Primitiva* de ſtatâ *Myſtagogis* ſuis *indictione*, cum in omnia ſe vertiſſet, ac ſummam feciſſet cogitationum ſuarum, non aliam reperit *æquiorem*, quam ſcire & ſancire poſſet, quam ſcitam olim ſub Lege & ſancitam de *decimâ proventus annui portione*: Æquiſſima quà ad *Deum*, quà ad *homines*. Quà ad *Deum*, Sic *Auguſtinus*: *Deus* ſic dicat, *Meus es, ô homo, mea*

*eſt*

*est terra quam colis, mea sunt semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, meæ sunt pluviæ, meus solis hic ardor, omnia mea sunt; tu qui manum tantùm accommodas, solam Decimam merebaris, sed servo tibi novem, da mihi Decimam.* Potestne oratio fingi magis æqua?

Quà ad *homines*. Æquissimum ibi, si non sit *remissius* uni, *durius* alteri. Id hîc fit, & exactè quidem fit: *Diviti* non parcitur, *Pauper* non prægravatur: quæ ferè querela est de *Principum* Edictis, melius ibi *Corvo* quàm *Columbæ*.

Illam ergo sacravit *Ecclesia*, húncque Deo honorem habuit *Authori indictionis* hujus, vt Ei optimè putaret exploratam *mensuram vectigalis* sui; nec vlla aut *Ecclesiæ Concilia* aut *Regni Comitia* prudentiùs istâ de re statuere posse, quàm est olim cautum *lege sacrâ*, quàm ipse *Legislator* (tam absolutus, vt *Iustinianus* nihil ad Eum) ante multa jam sæcula promulgârat. Ergo quæ potuit *indicere*, poterit cum vult *interdicere*. Non censeo; certè non suadeo. Argumento hoc, tum quòd periculosus inde mos; Vt sit *sacrum* quod volumus, quantum volumus, quamdiu volumus, si ista sic dentur: Tum hoc, quòd oporteat *Hæreditatum iura* esse *Sacro-sancta*: Et Devs Sua dixit *pacta salis*, nec subinde pro libitu figi, refigi, irrogari, surrogari, abrogari: Tum hoc, quòd *antiquari* non debeat *antiqua lex*, nisi propter illius vel ἀσθενὲς vel ἀνωφελὲς. Neutrum hîc. *Vim* enim video ab *Inventore, consensu, consuetudine, multitudine.* Denique non vel *tacitâ* vel *mutâ*, sed tum *expressâ*, tum *testata* sæculorum omnium *approbatione*. *Vsum* video: Eum enim diu jam sine cujusquam querelâ præstitit, cui rei destinata est; & quidem nisi elisi essent ejus nervi per *improprios* quosdam *Proprietarios*, pleniùs adhuc præstaret, neque *Ecclesia* ex hâc parte quicquam laboraret. Tum hoc denique, quòd vbi calido consilio in *stipem* mutata est, nollent factum: multi exin *errores, fraudes, difficultates, querimoniæ*. Extat querela *Ecclesiæ Scoticæ exhibita in Comitijs Edinburgi A. D. MDLXV.* vbi folium ejus octavum lego, miseret me illorum: nihil addo, nisi quod pueri cantillant —— *Fœlix quem faciunt &c.*

Maneat ergo immota *Consuetudo* hæc, adeóque conclusa

 mihi

mihi in eo pars prima sit: Quicquid semel vel *voto additum* est, vel *Lege* indictum, *Sacrum* est; illud (ut *XII. Tabulæ* loquuntur) qui *clepserit, repserit ve, Sacrilegus esto.*

2

1. *Quid sit Sacra* devorare. *Mal.* 3.8.

Scîstis jam quæ *Sacra* sint. Iam quod sum secundo loco pollicitus, accipite, Quid sit *Sacra devorare.* MALACHIAS pro *Vetere Testamento* dicit קבע spoliare; LVCAS pro *Novo* νοσφίζεσθαι horum quid *fraudare* vel *intervertere.* In quo, SALOMON aptissimâ mihi voce videtur usus, dum quod *alienare* propriè dicendum erat, dixit *devorare.*

1 Certè enim *nostris* dum vescimur, quod morati faciunt, buccellatim probè mansis & masticatis vescimur: *alienum* si est quod arripuimus, ne superveniat is cujus est ac præripiat nobis *bolum* de faucibus, citò totum & simul transmittimus. In eò aptè primùm, quòd *nostra* non sint.

2 Secundò in eo quòd *avidè.* Vide mihi *molossum* illum *Senecæ*, aut si mavis, *Esaiæ*, mensæ inhiantem, nusquam oculos moventem, caudâ motâ, & voce milvinâ abblandientem, dum ei aliquid in os. Audi mihi aliquem ex *Cleroboris* nostris, dilatantem os atque animam in bona *Ecclesiæ*, malis increpantem, dentibus prurientem, ingeminantem quotidie illud, *Da mihi hæc latifundia, Da mihi illud prædium superfluum, illam Ecclesiam caducam*: quæso quid interest? In eo aptè secundò, quòd *avidè* rapiantur.

*Esa.* 56.11.

3 Tertiò, illum ipsum *canem* advertite non modo *avidum*, sed *nescientem saturari*; si quid ei injectum in os, momento transglutientem, nec minùs pòst fauces diducentem quàm antea. Et istos itidem adverte petaces semper; in quibus ut agnoscas ipsam *hydropem*, sitis crescit ex potu; vt scias *sangui-sugarum* de genere esse, audi filiam ejus clamantem הב הב.

*Prov.* 30.15.

4. Quartò, quod in *voracibus* istis usu venit *milvis, lupis, locustis*, ut perpetuò *strigosi* maneant, nec quisquam ex eis evadat *habitior*: idem & hijs. Nimirum PHARAONIS *vaccæ* macie confectæ devorârunt pingues, & aspectus earum manebat malus sicut anteà: quotidiè rapientes & semper in egestate, DEO scilicet sic partas opes afflante, ut miremur omnes, quid massâ illâ factum sit, quæ abijt ante annos paucos in *lienem Reipublicæ.* Nobis ergo hoc esto *devorare*: [1] DEI quæ

sunt,

ſunt, non *noſtra*; [2] *glutire avidè*, quibus nec [3] *nutriatur* quis, nec [4] *ſaturetur*. De re *dixi*: Expediam etiam de *Perſonis*.

Genus eſt hominum duplex: [1] partim eorum quibus *Ius nullum*; [2] partim eorum, quibus *Ius* quidem, ſed eo turpiter per nequitiam abutuntur. 1. Quibus *nullum Ius*: Centupondio enim hoc peccatum gravius, etſi vtrumque grave. Is namque ſi peccat, qui ea prodigit, quæ *ſui* ſunt *juris*; qui *aliena*, in quæ nihil ei *Iuris*, ac nec *capacitas juris* (vt loquuntur) idque cum DEI injuriâ, nec DEI *cujuſvis*, ſed *vivi*, *ſacra* diripit, quantus Peccator? *Cuique* reddendum quod *ſuum*; ita nempe *Iuſtitia* vult: Hoc illis *ſuum* eſt, ita tamen *ſuum*, vt DEI primùm; vt ſemper peccetur prius in *cælum*, quàm in *nos*: Primarium enim *jus* DEI; *Sibi* aſſerit. Si quod *ſuum cuique*, quæ DEI DEO. DEI autem hæc, ſi DEO credimus. Et quidem bis DEI. DEI primùm *creatione ſua*, vnde id neceſſe eſt dicamus omnes, quod dixit DAVID, *Hæc quæ damus, omnia tua ſunt: Tua de Tuis Tibi damus. Creatione* primùm ſuâ, *Dicatione* dein *noſtra*: Quæ DEVS *ſecundario iure*, tranſcripſit in nos æquiſſimâ lege, Vt qui pro *hominibus* conſtituimur, in ijs quæ *apud* DEVM, pro DEO conſtituamur, in ijs quæ *apud homines*; qui porrigimus quæ DEI ſunt, *hominibus*, accipiamus quæ DEI ſunt, *ab hominibus*. Tranſcripſit (inquam) *jus*, tam arctum *jus*, vt non modò non *tolli* quicquam inde, ne per inſcitiam quidem; Sed (quod in *Civilibus* licet) nec *vendi*, non modò *totum*, ſed nec *partem* quidem fas ſit. Non *vendi*, non *emi*? nedum igitur *devorari*. Neque verò id ei tantùm ſcelus qui extorſerit, ſed *Magiſtratui* etiam qui permiſerit: Deque eo proteſtatus eſt *Nehemias* bonus *Princeps*, non modò non ſuſtuliſſe ſe *Sacra*, ſed ab Vrbe abfuiſſe, cum tollerentur; nam ſi adfuiſſet, potius quàm id fieret, de *fiſco* ſuo (quod *Artaxerxès* fecit,) de *menſa* ſuâ (quod fecit *Pharao*) largiturum fuiſſe. Aio igitur, qui, quod *Levitas* capere oportet, id intercipiunt, eos committere in DEVM, ſive *vi* id fiat, ſive *fraude*; ſive ad *militaria* vertant *ſtipendia*, ſive ad *ſtructuras Ædium*; ſive *lucri*, ſive *voluptatis* causâ faciant; ſive *partem*, ſive *totum* intervertant. *Per vim*, impia *Athalia*

per-

2

2. *Quinam ſint qui devorent.*

*Rom.* 13.7.

*Num.* 18.

*Mat.* 22.

1. *Chro.* 29.

*Lev.* 5.

*Ezech.* 48.

perrumpens in *Domum* Dei, & diripiens quæ inibi erant omnia: Per *fraudem*, impius *Acan* clanculùm defodiens in tentorio, vt adjiceret ad supellectilem suam *rem sacram*. *Publico commodo* visus est facere Ioas; pacis enim conditiones redemit thesauro *Domus* Dei, sed pacis lubricæ; *devoravit* enim *sacra*. *Publicâ magnificentiâ* visus est facere Ieroboam: extruxit inde *Shechemum* & *Phenuelem*; sed in *sanguinibus*, quippe spoliato *Templo*, & alienato jure *Decimarum*. *Lucri* causâ & commodi, *Tobia* cubiculum sibi adornat in *Atrio* Dei: *voluptatis*, perpotavit *Baltazar* in *vasis sacris*: uterque *Sacrilegus*. Denique ejusdem nominis non modò Ἐπιφανὴς ille qui convasavit omnia; sed & *Iudas*, qui ausus *sacrilegos* digitos inserere in *loculos* Christi, etsi *parte* contentus. Et Par illud *Sacrilegorum* Conjugum, quod ausum invadere *loculos Ecclesiæ*, & vel *partem* eorum detinere, quæ *Apostolorum pedes* attigerant. Quivis horum *Sacrilegij* reus.

2 Dicendum de secundo genere. Genus hominum quibus *jus* quidem, sed abutuntur *jure* per *injuriam*. Putatis fortè longè hinc abiturum ut quæram. Non eo pedem hinc, non discedo. Nos ipsi sumus; & apud nos hic multi sunt, nimis multi, qui *Sacra devorant*. Nam (quod non nemo è nobis facit,) per *otium* & *ignaviam*, hic *fucorum* instar obtorpescere, bonas horas malè perdere, luxu diffluere, comessationibus, ludis, nugis vacare, hæc facere, & tamen ex ijs quæ *Sacris* usibus dicata sunt, nos saginare, id demum est ex Christi sententiâ, κατεσθίειν, *devorare* & *dilapidare* paternam rem. Luc. 15.

Propius adhuc accedam: Prioris illius partem magnam fluxisse â nobis hinc; Ideò ab *alienis Sacra vorantur*, quia *vorantur* à nobis. Perinde enim sibi licere, res *Sacras* legevare, rem *Sacram* negligere, ac nobis. Et quidem (quòd valdè vereor) qui nunc tondent lanam, pellem cum lanâ deglubent; qui nunc arrodunt *Ecclesiæ* bona, plenis tandem faucibus absument, nisi detur à Deo *nobis* mens melior. Certè enim nullum est tam *sacrum* guttur, ut ei *sacra* deglutire liceat: *vesci* licet & *pasci*: *vorare*, non modò *locustis* illis, sed

sed vel *nobis*, nefas. Fiant, fiant *acervi*, acervi obsoniorum sed לחמיקים sit συμμερισμὸς *sacrorum, sed* προσεδρεύοντι. Participanti verò, non assidenti; opes impendenti, operas nusquam rependenti; peccatum est illi. Non eò dico, vt populus demat ei de mercede: non hercle magis de CAIPHÆ *siclo* mali *sacerdotis*, quàm de TIBERII *censu* mali *Imperatoris*: Vtrobique *debitum* reddat, etsi *debitum* non reddatur. DEI uterque Minister est, DEO stat vel cadit. DEI quæ sunt accipit, si *Sacrilegâ* manu accipit, DEO rationem redditurus. Eò dico, quòd meliorem mentem optem utrísque, & hijs & illis. Illis prioribus, dehinc vt quiescant porrò & desinant *sacra devorare*: Posterioribus hijs, dehinc vt laborent porrò, & desinant *sacra devorare*. 2.Chro.31.4. 2.Cor.9.

*Devorare sacra* quid sit, & qui sint, notum jam: utinam minus notum.

Qui faxit, quò illi eventurum factum suum (quod posui tertium;) audite jam: *Laqueus* est. Facturos enim SALOMON prævidit; subsecuta tempora comprobârunt. Certè tàm *sacra fames*, vt sit *furtum*, sit *sacrilegium*, sit *sacrorum* omnium *eversio*, ne si DEVS ipse præsens edicto, interdicto, ac vel fulmine caveat, efficiat ne illibata sint. *Bolus* est tam *opimus*, *palato* placens, plenus *deliciarum*, vt fauces ijs divelli, ac diffringi maxillas opus sit, vt extorqueat. Non convenit sic. Subdit ergo SALOMON, Excdant ergo si volent, ebibántque *res sacras*; *Escam* placere, at enim sub escâ hâc, *hamum* latere, quem vnà deglutiunt: Caveant *illecebram*, *tendiculam* haud procul abesse; *Agrum* ne attingant, esse *Acheldama*; *Anathèmata Templi* ne tollant, anathemate enim *Divino* implicari. Quâ voce scitè SALOMON inprimis, elegantérque rem totam, quâ de agitur, *aucupio* comparat, in quo magnus ille *animarum Auceps*, SATANAS (Sic enim DAVID, *Psalmo XCI*, יקוש PAVLVS, *II. Tim. II.* ζωγρία dixit) *prædam captans*, obtendit pro *escâ* suâ *prædia* & *fundos Ecclesiasticos*, sed *sacrilegij scelere*, quasi *tendiculâ*, circundatos. Ibi *Cleroboros* nostros, qui (quod PHARAO sibi facere visus, cum *Ecclesiam* opprimeret, *Venite, sapienter agamus*;) sapere sibi valdè videntur, *lucrati* ex re *sacrâ*, *quasi* 3 Pœna *eorum qui devorant.*

*stultas*

*ſtultas aviculas* (vt habetur Cap. VII. Ver. XXIII.) feſtinare ad *laqueum*, neſcientes contra vitam ſuam illum eſſe; advolare ſtatim *prædâ* conſpectâ, *capere* & *capi*, & *devoratâ prædâ*, *prædam* illius fieri, qui *circuit* noctes diéſque, *quærens quem devoret*. Veriſſimum hoc verbum eſt: Eſſe in omni *peccato eſcam* & *laqueum*; *eſcam*, quæ obtenditur; *laqueum*, qui ſubtenditur. *Eſcam*, aliquod *lucellum* iniquitatis, aut *voluptatulam* peccati; *Laqueum*, *peccatum* aliquod cum *aculeo* ſuo, diro ſcilicet *Legis maledicto*. Non longè diſcedam: *Cap. V*°. In vagâ *libidine*: *Eſcam*, eſſe *labia meretricis* mel merum ſtillantia; *laqueum*, peccati *reliquias abſynthio* amariores, gladio ipſo acutiores. *Cap. XXIII. Ver. XXXI*. In *luxu* & *vinolentiâ*; *Eſca*, *vini color* in vitro, *ſapor* in palato; *Laqueus*, morſus quaſi *Serpentis* aut *Reguli*, certam morſu ſuo mortem inferentis.

Hoc ipſo *Capite*, *Ver. XVII*. In *furto*: *Eſca*, *panis fraudis*, furtivus, abſque *ſudore* quæſitus; *Laqueus*, *peccatum* complens os *ſabulo*, unde exiſtat neceſſe eſt *ſtridor dentium*. Habet (inquam) *ſcelus* omne *eſcam*, habet & *laqueum*: Sed, de quo agimus, præter ſupráque cætera. *Eſcam* ſumo pro confeſſo: *laqueum* monſtro, vel in ipſâ *Gentium* hiſtoriâ, ſi vultis. CAMBYSEM, qui *Sacrum Hammonis*, exitio ſibi fuiſſe: BRENNVM, qui *Delphicum*, exitio cum ſibi tum ſuis. CRASSVM verò, qui *Hieroſolymitanum*, ijſdem faucibus hauſiſſe pòſt aurum liquefactum, quibus antè *ſacrum* hauſerat. Mavultis *Sacra*? eò ſequor. DATHAN, qui animum tantùm habuit *ſacra devorandi*, à terrâ *devoratus*. ACAN, qui primus adjicere auſus *rem ſacram* ad ſuam ſupellectilem, à ſtrue lapidum *devoratus* in valle *Achor*. BALTHAZAR, cum in digitis haberet crateres *Sacros*, digitos vidit ex adverſo, fatales tum vitæ, tum imperio ipſius. ATHALIA, intra *Templi* pomœria confoſſa gladjis, ejus ipſius *Templi*, cujus non ita pridem *ſacra* ſuſtulerat. Verùm quia in proclivi labor eſt, *ſceleris* iſtius vltionem, ſub *Lege*, reperiendi, ac ſuſpecta in quæſtione hâc fides *Teſtamenti Veteris*, malo de *Novo* ſumere. Ibi IVDAS, qui rem CHRISTI primò expilavit, CHRISTVM ipſum

pòſt

pòſt, prioris peccati pœnâ prodidit, *laqueum* in rebus *ſacris* latere triſti exemplo docuit. Hoc qui rem CHRISTI. Qui verò rem *Eccleſiæ* (quanquam idem eſt :) primi invadere, nec rapere jam donatam, ſed antequam donata eſſet, detinere tantum auſi ſunt, (*Evangelio* nequicquam intercedente,) *Apoſtoli* ipſius ore, horrendâ morte ſuffocati ſunt. Quo ipſo loco, paululùm morabor : Eſt enim vt pulcherrimus, ita maximè appoſitus ad quæſtionem hanc. Conſtat primò, Poſſe & ſub *Evangelio, dicari res ſacris uſibus.* Secundò, *Dicatas* ſic, *noſtras* jam non eſſe. Tertiò, Cum *noſtræ* non ſint, non ſine gravi *ſcelere detineri*, non ſine graviori *ſurripi.* Quartò, Qui alterutrum fecerit, ideò facere, quod illius *cor Satanas oppleverit*; (*Sacrilegi* ergo noſtri *Satanæ* pleni.) Quint, *Morte* hoc genus hominum mulctandum, non *cenſuris* notandum eſſe. Sextò, *Morte* autem tum *improviſa,* ne locus ſit huic tanto *ſceleri expiando :* 7° Tum *cælitùs immiſſa,* quo facto, DEUS ſeſe *Vltorem* hujus *flagitij*, quaſi de cœlo conſpiciendum præbuit.

*Evangelica* hæc ſunt (*Patres* & *Fratres*:) Nihilò in hos homines mitius *Evangelium*, quàm *Lex. Et Evangelio* ipſi vitæ miniſtro, *Laqueus* ſuus, *laqueus mortis*, illi homini, illi conſcientiæ, cui, quæ *Religionis* ſunt, *abligurire religio* non eſt.

Verùm enim quàm multis *Sacrilegis* nihil tale obvenit? Nec enim *ſolenne* eſt, aut perpetuum, quod *Sceleri ſurgenti* infligitur. Nec hoc dicit SALOMON, eos ἐπ' αὐτοφώρῳ opprimendos : Sed quod dicit, *ſolenne* eſt, nec fallit exemplum : id eſt, ut ut *lucem* effugiant, non effugient tamen; præhendet eos *calcaneo* SALOMONIS *laqueus*. *Laqueum* enim dicit, *aucupantis laqueum*, in quo non ſtatim ſuffocatur *avicula* quæ deprenſa eſt, quin *pede* aut *collo* aſtricta ad veſperam interdum, interdum & diutius in reditum vſque *aucupis* aſſervatur; Lento ſæpe interitu, certo tamen.

Credo vos advertiſſe, de *pernicie ſceleratorum* Sacras Literas verba facere, non eodem modo. Ira DEI vel eſt *ruina* ſubitò proſternens, vel *rete* rapiens, & poſt tempus interimens. Apud ESAIAM (*Cap. LI. Ver. VIII.*) eſt *Securis* repentè excîdens: Eſt & *teredo* paulatim erodens. A- *Ioſ.23.23.*

D pud

pud HOSEAM (*Cap. V. Ver. XII.*) *Leonem* fore se ait, quibusdam *Tineam*: *Leonem*, qui momento diripit; *Tineam*, quæ sensim absumit & sine sensu. Aliter interimit *Apoplexia*, aliter *Hectica*; sed utraque tamen interimit: aliter perit *navis sentinâ* neglectâ, aliter obruente *fluctu*; sed vtroque perit. Celeriùs PETRI *fulmen* illud rem efficit, tardiùs *laqueus* iste noster; sed idem uterque efficit.

Isthuc in *Sacrilegio* fit. Involant in *escam*, etiam in *rete* quoque; sed toti intenti in *prædam*, illius *dulcedinem* sentiunt, hujus *periculum* non advertunt, quo cor & conscientiam obstricti tenentur. Non id ita, vt statim pereant, sed epulentur *vermiculo* suo, donec totum absumpserint: at cum abire volent, sentient *teneri se* peccati *funiculis*, ut *Cap. V. Ver. XXII.* mortis *laqueis*, *Psal. CXVIII.* & *Iudicium* quod protinus non irruit, sed præ foribus excubat, non esse nihili faciendum: Venturum enim tandem *Aucupem*, certissimè venturum, & *animam* sic *illaqueatam* ei prædam futuram; Prædam (inquam) *Dæmoni*, cui DEVS & quæ DEI sunt, priùs præda fuerint, justissimo judicio; *Qui te diripiunt, diripientur*, IER. 30. 16.

Monstravi *laqueum*. Is autem לאדם Homini positus est, tum ipsi qui *peccat*, tum aljis propter ipsum. Ea enim natura *peccati* hujus, ut in castra universa pertingat, ut vallem ACHOR efficiat *Reipub.* universæ. De *Sacrilego* ipso diximus, pessimè istuc consulere in *rem suam* familiarem, in quam *anathematizatum* illud lucrum invehit, ut *arrhabonem* τῆς δυστυχίας. Omnino exedent fundum loculorum *res sacræ*, in quos abduntur, & pertusos reddent. Ager hic agros reliquos afflabit *uredine*: supellex ista tabem inducet in reliquam *supellectilem*. Ea pœna est AGGAEI. Pessimè in *animas*, quas *Satanâ* opplent, qui illos involvit *laqueo* inexplicabili, reservat *Iudicio* intolerabili.

Dicam paucis de *Repub.* deque *Ecclesiâ*. Vbi admissum est, *Reipublicæ* propter *devorata sacra*, à DEO *Devorator* immittitur: Sive is *Bruchus* est, sive *homines Brucho* deteriores. (Mal. 3.11.) Cum direpta *sacra* a *Regibus Israëlis* non erat pax, sed vexationes multæ exeunti & redeunti: Quod sustulerant à *Templo*, coacti impendere in *Locustas castrenses*. Cum direpta

*Sacra*

*Sacra* à *Præsidibus Provinciarum*, AVGVSTINI ſæculo, non eſt ditatus populus ille: Quod ſuſtulerant à *Templo*, coacti impendere in *Locuſtas forenſes*. Quia deceſſit *devotio* DEI, acceſſit *indictio fiſci*. *Devorator* immittitur *devoranti*; vel manipuli *Militum*, vel examen *Cauſidicorum*. *Laqueus* erit, *laqueus juris*, *laqueus fiſci*, *laqueus belli*; Omnino *laqueos* pluet in gentem illam DOMINVS.

De *Eccleſiâ* jam paucis. Ibi verò, cum *ſacris* obſonijs *devoratis*, & omne quod *ſacrum eſt* vnà *devoratur*. Debilitatis enim *Cleri* manibus, qui ſunt; alienatis animis, qui futuri ſunt, vel *Propheta* nullus, vel qui erit, *laqueus* ipſe erit in *vijs Iſraël*. *Populus* præda fiet *draconis*: *Draconis* illius, qui ſtat ante *mulierem parituram*, vt cum pepererit, partum ejus *devoret*. Certè enim majus huic *ſcelus* ſubeſt vel ipſo *ſacrilegio*, & (quod initio monui) non modò *ſacrilegi* homines hij, ſed hoſtes etiam habendi *ſacrorum* omnium. *Hoſ.9.8.*

Cum enim hæreant ſibi invicem, & complicata quaſi ſint quatuor *ſacrorum* genera, 1 *Sacri mores*, 2 *media*, 3 *perſonæ*, 4 *proventus*, vnus bolus eſt omnium, & abeſſe non poteſt, qui hauſerit vnum, quin & cætera quoque ſub eodem hauſtu hauriat. 1 Ne ſit *vectigal*; non erit *Levita* NEHEM. *c. XIII*. Videtis hanc Coronam tantam? Diffugient quiſque in agrum ſuum, deſerént que *Domum* DEI, niſi de congruâ eis portione provideatur. 2 Ne ſit *Propheta*; non erit *prophetia*, non *lex*. Si diffugerint iſti, nec erit *Sacerdos* doctus docénſque populum. Conjungit iſta duo SPIRITVS SANCTVS; 1 ſine *Sacerdote docente*, & 2 ſine lege. *2.Chron.15.3.*
3 Ne ſit *prophetia*, non erit *populus*; ipſiſſima SALOMONIS verba. Redeunt eò hæc omnia, eos homines qui *ſacra devorant*, *devorare* etiam *Prophetas* ſuos, vt illi *Iudices* ſuos. Qui illos autem *devorant*, *animas* devorare: qui animas devorant, *populum* DEI ſicut *panem* devorare. Non ergo *vectigalium* modò, ſed & *Prophetarum*, & *Concionum*, & *Animarum*, & *Gentium* gurgites ſunt, qui *Sacra* deglutiunt. Nemo vos ſeducat verbis fallacibus: ut *ſalus* non ſine verbo, nec ſine *Prophetâ verbum*; ſic ſine *authoramento* ſuo, neque *Prophetas*, neque *Prophetarum Scholas* has, diu fore certum eſt. *Prov.29.18.* *Pſal.14.4.*

Num ſecundùm hominem iſta dico? nonne *Sacræ Literæ* hæc eadem dicunt? Quod omnia *Ethnicorum* ſcripta ingeminant, *Honorem artium nutricem*; eandem & *D.* PAVLVS, *Theologiæ* quoque nutricem eſſeter uno Verſu inculcavit. (1.Cor.9.10.) *Sub ſpe* arandum, ſerendum, triturandum: ſine hàc *ſpe carnalium*, actum eſſe de *meſſe ſpiritualium*. Dixit SALOMON, *Penuriam præſepis penuriam boum* conſequi: Nobis dixit, qui niſi *hordeum* cumulamus, fruſtrà *boves* condocefactos quærimus. Dixit ſapientior SALOMONE, non de re noſtrâ, non tamen abs re noſtrâ, Ni ſit *cadaver*, non fore *aquilas*: Nobis hoc dixit, qui fruſtrà *aquilas* ſperamus, cum *cadaver* tollimus. Oportet *ſtudijs Theologicis authoramentum* ſuum eſſe. Nec enim CHRISTVS cum Collegio ſuo *Fratricelli* erant, vt eſt definitum; quin γλωσσόκομον ei, & tam amplum, ut inde non modò coëmerit quæ opus, ſed & *pauperibus* etiam erogârit. (Ioh.13.29.) PAVLVS autem non modò in *eleemoſynis*, ſed multò etiam magis in προσφοραῖς (de utríſque enim intelligendum, jam ante monui,) ἁδρότητα eſſe vult (id eſt) *dapſilitatem* quandam, (2.Cor.8.20.) ἐπ' εὐλογίαις non φειδομένως non modò (2.Cor.9.6,12.) τὰ ὑστερήματα, προσαναπληροῦσαν, ſed etiam περισσεύουσαν. Tum qui φιλόξενον æquè ac διδακτικὸν vult eſſe quem inſtituit *Miniſtrum*, (& verò, ſi quicquam in priore loco præjudicij, prius φιλόξενον:) non modò à *muſæo* inſtructum vult, ad διδασκαλίαν; ſed ab *arca* etiam inſtructum, ad φιλοξενίαν. (1.Tim.3.2.) Denique & exarüiſſe eos in *fide* cenſet, qui ſic *tenaces ſunt*: & ſi quando excreverit eorum *fides*, tum demum pro attributo nobis canone, conditionem noſtram fore auctiorem. (Phil.4.10.) Oportet eam eſſe *Cleri* conditionem, quæ *invidiæ* ſit, non *miſericordiæ* finitima.

Veterem *Canonem* videte. *Conſecrationis* pars vna, *unctio*; altera, *manuum impletio*; & ubi poſterior deficit, prior quoque deſideratur. Ita ſub MOSE. Invidit DATHAN: Habeat oportet ſuum אספים (id eſt) *ærarium*, & פרבר (id eſt) *fenu*. (Aſuppim 1.Par. 26.15,18. Parbar.) Ita ſub DAVIDE. *Acervi* fiant oportet, plurimi *acervi*, המון הזה, ad magnæ *multitudinis* inſtar. (2.Paral.31.10.) Ita ſub EZECHIA. Neque verò læta magis facies, quàm ſub *Regibus* hijs, qui *dapſiles* in *Levitas* extiterunt: Neque verò tetra magis aut funeſta facies *Reipublicæ*, quàm ſub *Regibus* ijs, qui maligno in *Levitas* oculo extiterunt.

Videte

Videte *Anarchiam* illam *Iudicum*; Erraticos *Levitas*, huc illuc. *Ratio: Denis* enim *ſiclis* valebant. Videte SAVLIS: *Arca* non quærebatur in diebus illis. *Ratio:* Conditio eorum, incurvare ſe pro *nummo argenteo* & *ſegmento panis*: meliore loco DOEG, quàm AHIMELECH. Videte IEROBOHAMI: *De noviſſimis* quiſque qui voluit, *conſecratus eſt*. *Ratio: Noviſſimi* enim ſat apti *noviſſimæ conditioni*. Et apud nos (*Patres* & *Fratres*) Si operam tam *vili* locatam volumus, quàm quidam, ubi frontem perfricuerunt, non dubitant affirmare; quivis qui *talarem togam* gerere, & *garrire* poterit ad clepſydram, ἄκοσμά τε πολλά τε, cohærentia non cohærentia *præcipitare*, is erit nobis aptus *Propheta*. Iudi.17.7,8,10.

Verbo abſolvam quod ſupereſt. Videte mihi DEVM apud ZECHARIAM (*Cap. XI. Ver. XII.*) ubi deſerere vult *Iſraëlem*, hoc ipſo deſerentem, quod Ipſius operam nimis frigidâ *mercede* penſaverint. Heus (inquit) ſi bonum videtur in oculis veſtris, appendite mihi mercedem: ſin minùs, deſiſtite. Cum illi nummos aliquot (*triginta* putà,) appendiſſent, ibi Ille indignabundus: Egregiam verò *mercedem* & magnificum *pretium*, quo æſtimatus ſum à vobis! diffregitque *baculum Paſtoralis* muneris, ac irritum fecit quicquid ei populo bonum deſtinaverat. Non fruſtra poſitum exemplum hoc. Idem quotidiè uſuvenire mihi credite, in præſtantibus & DEO plenis ingenijs; (excepto ſi ELDAD fuerit aut MEDAD unus aut alter:) proſpicere huc ſubinde & ſeſe tacitè percontari: Hem *Onus ingens* naturâ ſuâ, ſed quorundam *Phariſaïcâ* alligatione (quod tamen ipſi non attingunt) *infinitum* jam; locus *lubricus*, *tædij* & *moleſtiarum* plenus: Ecquid erit *pretij*? Vbi frigere vident hac ex parte homines, nimiùm *vili* locandam operam, infinitum *laborem* requiri, *triginta nummos* appendi; qui alioqui in hæc ſtudia propenderent, *baculos* ſuos diffringere, ad alia ſe ſtudia vertere, irritum facere propoſitum ſuum, ſtudijs ſe hiſce, atque huic tam *Sacro* muneri conſecrandi.

Quod ne fiat, (*Patres* & *Fratres*) ne plura indies fiant fragmenta *baculorum*, maturè accurrite huic morbo: *Eccleſiam* ab illâ *cauda Prophetarum*, quæ eſt ei alioqui obventura; *Rempublicam* à *laqueis* vexationum; Vos ipſos à ſan-

D 3 guine

guine tot animarum *Sacrilegio* quotidie pereuntium liberate; Textum hunc, alios huic ſimiles ſæpe vrgete.

Omnino mihi pro conceſſo eſt confeſſóque ab omnibus, Optimam fore rem optatiſſimámque, *Clerum* eruditum,dum conſtet ratio, quâ id poſſit effici. Quod ut effectum detur,potior mihi ratio videtur hæc pro concione inculcandi,quàm (quod diu jam triſti ſucceſſu fecimus )mordendi nos atq; lancinandi invicem, donec tandem alteri ab alteris conſumamur.

Quod niſi fiat, rudera certè & ruinæ *Eccleſiæ* conſpicuæ ſunt; ſtructura verò aut ſtructuræ materia non apparet. *Ruta cæſa* video: vnde ſarciantur vel tegantur, non video: Meliore loco fore res quàm ſunt, ſperare non poſſum; pejore adhuc fore quàm ſunt, metuere poſſum.

Diſſerüi de re, vt mihi quidem videri ſolet, neceſſariâ & tractatu & cogitatu. Sententiam eâ de re meam vobis, qui *Prophetæ* eſtis & *prophetiæ Anglicanæ Patres*, *Propheta* ipſe ejuſdem ordinis non ejuſdem meriti, méque ipſum per omnia ſubmiſſum volo.

Satis jamdudum tædij devorâſtis ſcio; non peccabo igitur diutius in patientiam veſtram.

Illuſtret mentes noſtras lumine ſuo vera Mundi LVX, non modò vt vitia videamus, & labes rerum præſentium & earum cauſas ſcrutemur; ſed vt, ex ijs quæ maximi momenti ſint, excutiamus, ad eáque amovenda toti totis viribus incumbamus; florentem ECCLESIÆ ſtatum, quoad ejus fieri poteſt, omnimodò faciamus, factum conſervemus: Denique revocemus ad IERVSALEM caput lætitiæ noſtræ per CHRISTVM DOMINVM noſtrum, &c.

*FINIS.*

# CONCIO AD CLERVM IN SYNODO PROVINCIALI CANTUARIENSIS PROVINCIÆ AD D. PAVLI.

Die XX° Februarij.

*A.D.* MDXCIII.




*LONDINI,*
Excudebat *Felix Kyngston* pro *R. B.*
& *Andræa Hebb.* 1629.



## Act. Cap. XX. Ver. XXVIII.

* *Attendite vobis, & uniuerſo Gregi, in* quo vos Spiritvs Sanctvs *poſuit* Epiſcopos, *regere* Eccleſiam Dei, *quam acquiſivit ſanguine* Suo.

* Προσέχετε.



*Vam vobis recitavi* ſententiam (Reverendiſſimi in Christo Patres, Fratres in Domino chariſſimi) Divi Pavli *eſt, è concione deſumpta, quam ille ad* Epiſcopos *habuit &* Clerum Asiæ, Mileti *in* Prouinciali Synodo *congregatos. Nec alia mihi aptior occurrit inſtituto noſtro, qui idem hîc hodiè molimur, quique à Provinciâ uſque ultimâ convocati, præſidio* Christi, *Almíque* Spiritvs *ſubſidio, ſacram hîc hodiè* Synodum *à Sacris auſpicamur.*

Provincialem *dixi fuiſſe* Synodum *hanc* Pavli; *idemque hoc mecum dicit Author non indiligens, & qui primus* Synodos *collegit,* Isidorvs. *Is namq; author eſt, ut illud* Capite XV. Generalium Conciliorum, *ita hanc, hoc* Capite XX. Provincialium Synodorum primam *fuiſſe. Idem hoc ex ultimâ antiquitate Teſtis, & à* Christo *recens* Irenævs, (*Lib. III. Cap. XIV.*) *Convocâſſe huc* Pavlvm *utroſque, &* Epiſcopos *&* Presbyteros, (*non enim* Irenæo, *idem* Epiſcopus *&* Presbyter;) *non ab* Epheſo *modò, ſed à reliquis in circuitu Civitatibus, ad* Synodum *faciendam. Idem ipſe* Pavlvs *paulò ante* Ver. XXV. Omnes vos (*inquit*) per quos tranſ-

ivi prædicans Verbum DEI: *quod, de unica* Ephesi *vrbe interpretari, nimis violentum est.* Synodus *ergò fuit.*

*Quâ de* Synodo *miram rem memorat,* D. LVCAS. Mileti PAVLVS *est: properat ad* Hierosolymam, *&* Spiritu alligatus *properat, nec omnino illi animus* χρονοτριβῆσαι *in* ASIA: *At, quantumvis* properantem *sistit tamen* Synodi *necessitas, & qui illum* ligârat SPIRITVS, *exolvit ad tempus vinculis suis huic negotio: &* Synodum *celebrare, non fuit* PAVLO *tum, utinam verò nec nobis* nunc, χρονοτριβῆσαι. *Magnam verò* Synodi *necessitatem, vel ob hoc unum, quod in medio itinere, in hac* Apostoli *festinatione tantâ, in hijs tantis temporum angustijs, prætermitti tamen non debuit.*

*Cur verò non debuit prætermitti, in causâ fuit, quòd cernebat animo* PAVLVS, *imminere tum* ASIÆ *procellam gravem; non ab* HERMOGENE *solùm &* PHYGELLO hæreticis; *(qui tamen paulò pòst, ut ipse refert* (II. Tim. I. XV.) *totam pœne* ASIAM *à fide averterunt:) Sed ab* Ephesinis *illis*
1. Cor. 15. 32. Bestijs *multò magis, quibus* Resurrectio *iam tùm, adeóque tota* Religio ἀργὸς λόγος.

*Quare vltimùm* jam *videns Clerum hunc* Apostolus, *nec* jam *ampliùs visurus, cum sciret quanti interesset,* attentos *esse qui principem in* Ecclesiâ *locum tenerent, attentus ipse, eos ut* attentos *redderet, quò venienti huic tanto malo* attentione *suâ occurrerent,* Synodum *hanc habuit, & hanc in* Synodo *concionem,* Attendite.

*In eóque regulam nobis fixit habendi* Synodos. *Non modò, si* exortum jam murmur est (ut Cap. VI.) si jam emersit hæresis, (ut c. XV;) *ad Medelam, cum quid* Ecclesia *detrimenti cepit; sed etiam, si minatur tempestas,* si Lupus *pro foribus est, ut hoc loco, ad Cautelam, ne quid* Ecclesia *detrimenti capiat. Cautelam verò* Medelâ *præstantiorem, apud* Medicos; *&* προνοίαν μετανοίας, *apud* Theologos, *receptum est.*

*Quid actum* Mileti *in* Synodo *hâc, quid cautum sit, si quæritis, legi vobis* Canonem magnum, *Canonem de* Attentione *tum nostri, tum* Gregis. *Unicum illum quidem, sed instar multorum: cuíque si* attenti fuissent Curatores Ecclesiæ, *unica hæc* Synodus, *unicus hic* Canon Milesius *satis fuisset; Nec tot pòst* Synodis, Concilijs, Conventibus *opus ullum,*

ad

*ad tam multos* Canones, Acta, Decreta *coacervanda.*

*Quo in Canone propono vobis, exponóque tria hæc. Primum de* I
Decreto *ipso, ipsâ nempe* attentione: *Caput enim est totius* Versûs, *&* (*ut* Iurisconsulti *loquuntur*) Verbum operativum, *verbum primum.* Attendite.

*Secundum, de* Attentionis *hujus* extensione, *quousque se porrigat, & ad quos:* Ad vos ipsos, ad Gregem universum. II

*Tertium, de* Attentionis *hujus* intensione (*ut in* Scholis III
*loquimur:*) *quibus scilicet argumentis intendat, (id est) attentam magis intentámque reddat* Apostolus Attentionem *hanc. Tria*
*vero sunt. Primum, à Munere ipso;* Positi estis ad pascendum. 1
*Secundum, à Muneris Subjecto:* supra Ecclesiam Dei positi, quam proprio sanguine acquisivit. 2
*Tertium, à Muneris Authore:* Positi *autem à* Spiritv Sancto. 3

In quo vos posuit Spiritvs Sanctvs pascere Ecclesiam Dei, quam proprio sanguine acquisivit.

*Quæ ego dum sic singula complector, ut quem ad finem à* Deo *destinatus est Ipsius* Sermo, *eum in nobis finē sortiatur hoc tempore, totáque hæc actio nostra cum fructu sit, invitemus huc* Nvmen *precibus nostris* (Patres & Fratres *in* Christo Reverendi:) *quo detur mihi sermo in apertione oris, quodque utiliter meditatum est cor meum, perducat in linguam meam, inde in aures vestras, inde in corda vestras, inde in studia atque in mores vestros, ad Sui Nominis gloriam, nostramque omnium salutem sempiternam, &c.*

---

I *De Attentione ipsâ.*



*Ttendite, &c.* *Attentos* nos primò reddit prima Pavli vox; (cum Avgvstino dicam) sive *vox*, sive *tuba*, sive *tonitru*, *attendite.* Attentos nos (inquam) reddit, eò magis *attentos*, quia versus vix unus aut alter intercedit, quin hoc idem iterum ingeminet, *Ver. XXXI. propter quod vigilate.* Id perinde est ac si diceret: Iterum vos moneo atque iterum, Provinciam tractare vos spissam atque arduam, Provinciam quæ *attentas aures*, quæ *vigiles oculos* requirat; *attentas aures*, proin *attendite*; *vigiles oculos*, propter quod *vigilate.*

Neque verò temerè hæc, *Apostolus*; (non enim temerè

merè quicquam aut intempestivè vir tantus:) Viderat, proculdubiò viderat alicubi in *Synodo* remissas quorundam manus, soluta genua; Viderat nonnullos in *Asiâ*, quorum nos hîc in *Angliâ* non paucos videmus, ad Munus suum vel non satis *attendentes*, vel non satis acri tendentes animo. Perfacilè istuc fit *(Patres:) Attentio* namque sine *tensione* non fit. Violenta res est, & Natura nostra tenella

*Jona.* 4.5,6. est; remitti vult, *cucurbitam* IONÆ, *pulvillos* EZECHI-

*Ezech.* 13.18. ELIS amat & sectatur: quin si aliqua fortè nos machina tetendit, statim tamen (quod acutè animadvertit PSALMI-

*Psa.* 78.57. STA;) *instar arcûs dolosi* esse nos, & nervum nostrum de incisurâ suâ citò resilere. Atque hinc κακοηθὲς illud nostrum, dum ita ferè animati sumus, dum ita (ut eleganter AVGVSTINVS,) *secum quisque loquitur, Quid ad me pertinet? quisque quid velit agat; victus meus salvus erit & lac & lana; Satis est mihi, eat* Ecclesia *quà potest.* Hoc malum sub sole est *(Patres:)* ab hoc verò malo est quicquid vsquam est mali. Cladem *Ecclesiæ* sic orditur CHRISTVS, Parabo-

*Mat.* 13.25. lâ *Zizaniorum, Cum* dormirent *homines.* Scio quidem accessit invidia *Dæmonis*; sed substrata illi causa, *desidia* hominis. Nam certè, quæ fuerunt vnquam *Gregis* dispersiones, aut agri *zizanijs* oppleti, vel luxatæ in *Ecclesiâ* trabes & tecta perstillantia, ab hoc malo fuerunt omnia. Etiam nos (*Patres*) dum semi-somnes hîc sedemus (quanquam *somnus* non fuit, *vidimus* enim;) dum videmus ergò sed tamen tepidi & tacentes sedemus, nescio quæ portenta *spinionum* invaluerunt hîc apud nos, nulli priscorum audita vel visa, & vulgi aures animósque occupârunt, ac jam *zizania*, scilicet *zizania* non sunt, *fruges* sunt. Cura certè nobis, vel si non cura, cor defuit; & eódem redit, venienti malo vel non *attendere* per oscitantiam, vel non *contra tendere* per vecordiam. In *attentionem* enim (quæ & *Oculata* & *Cordata* est,) vtrumque committit.

Vidit hæc PAVLVS. Parte verò ex alterâ, vidit magnum huic malo remedium esse in hâc voculâ, [*Attendite.*] THALES olim *Milesius* hoc ipso in loco, ascriptam pòst multis sententiam, primus dicitur dixisse, *Non sine oculo Domini* (id est, *attentione*) *equum, Non sine vestigio Domini*

(id.

(id est, *attentione*) *agrum pinguescere* : id est, Omne in *attentione* punctum esse. Eodemque in loco hoc PAVLVS, (jam *Milesius*) Nec, sine voce hâc, *Ecclesiæ* bene esse ; sed & illam *attentione* vestrâ, vestris *oculis*, (id est) quotidianâ inspectione in *Consistorijs* vestris ; *vestigijs*, (id est) solenni lustratione in *Visitationibus*, lætam florentémque fieri. Ita vtraque & *Philosophia* & *Theologia* favent *attentioni* : & apud *Philosophos* κυρία δόξα, & apud *Theologos* Canon est, *Attendite* : vtrique magnum in eo momentum viderunt.

PAVLVS verò tantum in his quatuor syllabis momentum vidit, vt *Attendite*, dixerit ; dixerit, & tantum dixerit, nec verbum præterea vllum addiderit, quasi in eo insint omnia ; & cùm cætera posset, gratiam, potentiam, opulentiam meminisse ; (in quibus est & momentum suum ;) quasi vbi vel reliqua desunt, sola *attentio* satis sit, solam evocavit. Et quidem si solers est atque seria, si assidua atque anxia, si (vt *Poëtæ* verbis vtar) *improba attentio* (id est, qualis in improbis) satis est vel sola, nec est ei, vel vox alia, vel virtus addenda. Enimverò qui attentè historias legerit, videbit illa quæ dixi, *Principum* gratiam, opulentiam, potentiam, magna rerum gerendarum præsidia, primis illis *Christianis* defuisse ; vnam hanc vocem non defuisse : vnam hanc instar omnium fuisse : vni huic post CHRISTVM quidem, debere *Ecclesiam* incrementa sua. Neque verò læta magis facies *Ecclesiæ*, aut quam videre malles, quàm cum TIMOTHEOS habuit, qui rem *Gregis* germanè accurabant : Neque verò tetra magis aut funesta facies *Ecclesiæ*, quàm cum GALLIONES habuit, quibus *nihil illorum curæ*, quibus susque deque quid fieret *Ecclesiæ*. *Act. 18. 17.*

Quamobrem, & quia tanta in hac voce virtus, vrget eam *Apostolus* ; & verò etiam, quia illa quæ modò nominavi, Potentia, Opes, Gratia, aliunde pendent, nec opis sunt nostræ ; *Attentionem* verò quisque DEI virtute à seipso petit, secum habet, & apud se in se, cum opus est, excitat ; quod NAAMANI olim *Syro* servus ejus, id mihi liceat vsurpare (*Patres* :) *Si rem grandem dixisset* Apostolus, *certè facere debuissetis* ; *quantò magis, cum hoc unum* *2. Reg. 5. 13.*

 *modò*

*modò dixit*, Attendite? id eſt, vt vt cætera deſint, Gratia, Potentia, Opes; quæ quia penes vos non ſunt, non petit à vobis, vnam hanc vobiſcum afferte, *attentionem*.

Quanquam illa quidem (quod initio monui) vna non eſt; multiplex eſt: nec mihi (vt quod res eſt dicam,) per omnia ſatiſfacit, Latinum hoc *attendite*. Plenius eſt quod in origine eſt, προσέχετε; id verò latinè de verbo ſonat *adhibete*; *adhibete vobis, adhibete Gregi*. Quid tandem? Cum nihil certi adjunxit, indefinitè intelligi voluit, προσέχετε νοῦν, γνώμην, σπουδὴν, ἐπιμέλειαν, id eſt, *Adhibete aures atque oculos, mentem atque animum, curam omnem atque ſolicitudinem*.

In *attentione* inſunt hæc omnia; quaſi *Synodum* quandam *cogitationum, curarum, conſiliorum*, complexus videtur voce hâc: ſeorſim illam quidem vobis, & ſemper; hic verò in *Synodo* jam congregatis, apprimè neceſſariam, commendat *Synodo* huic vocem *Apoſtolus*, quæ ipſa eſt *Synodus*. Et ego (*Patres*) commendo vobis, *adhibete Synodum hanc* Synodo *huic*: nec illam ſolum de Superiore *Synodi* Domo, oculatam ſolicitudinem: ſed & hanc de inferiore, cordatam fortitudinem adhibete; id eſt, non modò vitia & labes *attendite* rerum præſentium, ſed & contra eas acri *tendentes* animo aſcendite; ex adverſo *State in confractione, & opponite vos murum pro Domo* ISRAEL. Quod ſi fiat (quæſo autem vos *Patres & Fratres* vt fiat;) ſpeciem aliquam viſuri ſumus legitimæ *Synodi*. Sin autem: Sed nolo quid triſtius ominari. Pergo ad inſtitutum.

*Pſalm.106.23. Eze.13.5.*

II

*De attentionis* extenſione: *Vobis & Gregi.*

SCîſtis verò *attendite* quid ſibi velit. Quod poſui ſecundum, aſſumo jam mihi, *Ad quos ſe, & quoſque porrigat*; nempe de *attentionis* extenſione. Semel quidem dictum vna vox [*attendite*;] ſed ἀπὸ κοινοῦ bis repetenda; [1] *Attendite* vobis: [2] *Attendite* gregi.

I

*Attendite* vobis.

Quæ namque reliquis ſimpla ſufficit *attentio*, ea dupla requiritur à *vobis*; *vobis*, quà *Chriſtiani*; *Gregi*, quà *Præpoſiti*: Vtrique nos *attentos* vult PAVLVS, ſed primò *vobis*. *Vobis*; nam niſi *Vos vobis*, quis *vobis*? Nam *quis cuſtodiet ipſos Cuſtodes*? aut *Sal ſi infatuatus fuerit, in quo ſalietur*? *Vobis*; quia, qui *ſibi* non *attendit*, quomodò *Gregi*? Aut, *in ſuo* fidelis

*Matth.5.13.*

qui

qui non eſt, *alienum* quis credet illi? Vigilanti PETRO, *Luc.16.12.*
CHRISTVS, *Tu converſus, confirma fratres:* is CHRISTI ordo eſt, primò ut *in ſe* tendat, *converſus*; pòſt, ut ad *alios* ſe extendat *attentio, Confirma.* Semi-ſomni PETRO paulò pòſt CHRISTVS, SIMON *dormis?* id eſt nimirum, *Tu, qui* alijs *attendere, qui* alios *excitare debueras, Tu dormis? tute* tibi *non attendis?* Abſurdum id CHRISTO viſum eſt; & eſt ſanè abſurdum. Quare principiò *Vobis* attendite. *Luc.22.32.* *Mar.14.37.*

Et eſt in *vobis* cura, eſt *attentio veſtri*; quis negat? Satis enim vos *vobis* attendere, et rei veſtræ, populi vox eſt; ſatis vos ſtrenuè, ditandis filijs, dotandis filiabus *attendere.* Tam verò vos hâc ex parte *attentos* eſſe, ut *hæredum* magna vobis *Attentio, Succeſſorum* exigua (etſi quæ *exigua* eſt, aliqua eſt,) ut præ *hæredum* attentione, *nulla* ſit *Succeſſorum. Attendere* hoc quidem eſt, ſed vereor ut PAVLI ſit. Explicat verò ſe PAVLVS (optimus ſui interpres) & longè vos aliò vocat, apud quem gloſſa eſt *attentionis* hujus I. ad *Timotheum. Cap.IV. Attende tibi & διδασκαλίᾳ, Attende tibi & ἀναστροφῇ.* Quo modo ex oſſibus & carne corpus conflatur, ita concretum quid ex *vitâ* & *doctrinâ* ponit TIMOTHEVM; ut *doctrinæ* & *vitæ attendere,* id demum ſit Vobis attendere. *1.Tim.4.16,12.*

De *doctrinâ* primò: *Attendite vobis* & *doctrinæ.* Fallor *(Patres)* ſi non hâc ipſâ voce Sacrati, inque ipſam *Epiſcopalis* gradûs poſſeſſionem miſſi eſtis; proin illa vobis excidere non poteſt. *Doctrinæ* enim ad vos cura propriè & primò ſpectat, *Depoſitum* veſtrum eſt: vobis datum & παραγγέλλειν, id eſt, *præcipere, ne quis aliter doceat,* 1. Tim. 1. 3. Et ſi quis aliter doceat περιΐστασθαι, id eſt, *cohibere.* *1.Tim.6.20.* *2.Tim.2.16.*

Hîc verò quæſo *(Patres)* primum *attentionis* veſtræ ſpecimen edite. *Attendite* doctrinæ, non dico à *fermento erroris,* ut *vera* ſit; non ab *ægris* illis & *vertiginoſis quæſtionibus,* ut *ſana* ſit; (quanquam & illa vobis cura incumbit & illa:) illud dico, Attendite à *Barbarie,* ut *ſit*; id eſt, ne omninò nulla ſit. Ex quo enim nuper hîc apud nos vapulârunt *Canes muti* (pro quibus, non quiſquam (credo) niſi exlex ille ſolus quem *Neceſſitatem* dicimus, intercedit,) animos ſibi ſumpſit indoctiſſimus quiſque, involavit in locum hunc, in hoc

Sapientiæ

Sapientiæ Divinæ Solium, hîc ad clepſydram ἀκούομέν τι πολλά τι, cohærentia non cohærentia, ſcabra, putida, inſulſa nec cocta nec condîta præcipitavit ad nauſeam vſque; & hoc ſcilicet *Concionari* dicitur. Permittite mihi liberius quid dicere: ex quo excluſi ſunt Clamatores iſti odioſi, ac moleſti; ex quo peſſimus iſte mos invaluit; ex quo pruriginoſo cuique aditus patefactus, hîc, quicquid libet effutiendi, *Eccleſia* in *tonſtrinam* verſa eſt; non plus ibi ineptiarum

Mat.6.7. quàm hîc; *Theologia in* βαττολογίαν, damnandum certè non minùs in *Concione* quàm in *Oratione* βαττολογίαν: Canes non latrantes mutati in catulos oblatrantes. Haud ferè ſcias, quid optandum ſit, illúdne ſilentium, an hij latratus abſoni; illúdne jejunium, an hæc nauſea. Certè *doctrinæ* hîc apud nos non *attenditur*.

Non hoc *Eccleſiaſtes* ille permittit, qui verba hîc proferenda, non ſolùm *rectitudinis* verba eſſe voluit, ſed *delectûs* etiam *verba, addo* & *delectationis* (*Ecclеſ. Cap. XII. v. X.*) Non

1.Tim.2.15. hoc PAVLVS noſter, qui nos omnes ὀρθοτομεῖν, id eſt, *accuratâ methodo partiri*; qui nos omnes

2.Tim.5.17. κοπιᾶν ἐν λόγῳ, id eſt, *Sermones noſtros elaborare*; qui nos omnes (dicam vno verbo,) *doctrinæ* vult *attendere*.

Non hoc exemplo veſtro fit (*Patres:*) quoties enim divinæ voces veſtræ & hijs longè diſſimiles, noſtras omnium aures circumſonuerunt? Conniventiâ veſtrâ fit, & defectu, hâc ex parte, *attentionis* veſtræ. Dum vos nobis non *attenditis*, doctrinæ hîc apud nos non *attenditur*.

Non ferendum hoc (*Patres:*) Illud multò adhuc minùs, quòd per importunas quorundam conciones; per libros nec genium habentes nec ingenium; per angulares (neſcio quas) & ſemi-doctas *Synodos*, id agitur, ut jam non modò liceat, ſed etiam neceſſe ſit nobis *inſulſis* eſſe. Proſcribunt enim uſum in Sacris *doctrinæ* omnem. Si quis *Eccleſiæ* LVMINA, Ὁμηρεὺς τοῦ λόγου (BASILII verbis utar) id eſt, interpretationis ſuæ tanquam Obſides dare; ſi quis quid enucleatæ aut reconditæ eruditionis proferre; ſi quis hinc à *Mileto* quidquam petere; ſtatim *corruptorem* clamant, & quaſi adulterantem Verbum DEI: Ita reum peragunt ipſi omnium corruptores & caupones nequiſſimi, qui non eruditionem

nem ullam immiſcent, non certè, ſed pro eâ nugas, & næ- nias, & cerebri cruditates, quibus non ſaliva, non albumen ovi ullum magis aut jejunum aut inſulſum eſt. Summa eſt; *Doctrinæ* non attenditur. Tendit verò vobis manus ſupplex *Doctrina*, ut poſſit *attendi:* quòd niſi *Doctrinæ* voci, idque maturè *attendatis*, brevi nulla futura eſt omnino, cui (ſi maxi- mè velitis,) poſſitis *attendere.*

Verùm enim non, ſi ſatis *Doctrinæ* cautum eſt, abſolvit vos *Apoſtolus*, niſi & ad *vitam* quoque ſitis *attenti*. *Attendite vobis* & doctrinæ; nec *doctrinæ* modò, ſed & ἀναστροφῇ *attendi- te*, id eſt, *Attendite* ne quod *voce* aſtruitis, id *vitâ* deſtruatis. 1.Tim.4.12. Præcepta vos gregi, nec ſolùm præcepta, exempla quoque dare vult: nec exempla dare vos, quin Exempla vult eſſe fidelium; atque inde nimirum *gregis* mentio. Populum e- nim dum *gregem* dicit, id dicit, Oportere vos ita compoſi- tos eſſe reſpectu populi; eâ eſſe & integritate morum & ſanctimoniâ, ut reliqui, comparatione veſtri, meritò *grex* dicantur. Acutè id vidit *Scholiaſtes*, perinde ut σκοπὸς, ita & ἐπίσκοπος, non *activè* ſolùm, verùm *paſſivè* quoque uſurpari. *Epiſcopi* eſtis *activè*, id eſt, *Inſpectores*; *paſſivè*, id eſt, *Spectacu- lâ:* aliorum ſimul *Inſpectores*, ſimul *Inſpecti*; omnium enim in vos oculi atque ora converſa ſunt; omnes in *doctrinâ* at- tendunt vobis, omnes in vitâ attendunt ad vos. Quòd ſi quis in veſtro illo tam ſancto ac venerando Ordine malæ frugis, ſi quis Dilapidator Ærarij ſacri, ſi quis polygamus, ſi nepos, ſi falſarius, ſi fœnerator, ſi caupo Beneficiorum; latè ſe ſpargit exemplum, & nimis facile reſponſum, *Idem hoc* Epiſcopus *noſter factitavit*. Certè ſi quid vel leviter à vobis admiſſum eſt, magna inde, & malis licentia peccandi, & malignis anſa calumniandi: magnúmque declinationes veſtræ, & hîc in *Sione* luctum, & illic trans mare quoque in *Aſcalone* triumphum excitant. Quare ab hâc quoque parte *attendite Vobis*.

Enimverò, niſi vos vobis hâc parte caveatis, Optimæ PRINCIPIS gratiâ, Procerum favor, Legum terror, diu vobis cavere non poterunt. Intelligentibus loquor. Scio ego vos advertiſſe Statum hunc atque Ordinem noſtrum, non tam à politicis legibus, quàm ab hominum conſcienti-

is momentum habere atque vim ſuam: quibus niſi nos commendare in conſpectu DEI; & in quibus niſi venerationem internam lucrari detur, quàm iſta nobis (de quâ dixi) *attentio* conciliabit, fruſtrà nobis faverit, fruſtrà caverit lex vlla. Si remittitis hâc parte *attentionem* veſtram, ſi *doctrina ludibrium* eſt, ſi *vita ſcandalum*, fortaſſe non momento uno, non ictu oculi, ſed ſenſim tamen ſeneſcet, evaneſcet, tendet ad interitum Ordo veſter, διὰ τὸ ἀσθενὲς αὐτοῦ καὶ ἀνωφελές. *Attentione* enim veſtrâ, non *Eccleſia* ſolùm, ſed vos quoque ipſi ſtatis; ideóque curam conjunxit *Apoſtolus gregis*, ſed veſtra quoque

2 hîc res vertitur.

*Et* Gregi. Hæc ad vos de *vobis*. De *grege* jam veſtro ſupereſt ſermo alter. Nam & *gregi* pars ſua eſt in *attentione* veſtrâ; & *vobis* etſi cura veſtri impoſita eſt, tamen non ad curam veſtri poſiti eſtis, ſed *gregis*. De *vobis*, ſine authoramento dixit; de *grege* verò, *in quo poſiti eſtis*. Et illa tria quæ mox explico argumenta, pro *grege* ſunt ſingula, non pro *vobis*. Certè ſic facto opus fuit. Omnino enim auditur ſuſurrus iſte in vulgo, (utinam falſò:) Ubi veſtra res agitur, ſi quid in titulos, in ſtatum, in dignitatem veſtram tentatur; ſi periclitatur vobis

*Cap.*19.24. pars veſtra in redargutionem venire; ut ille præcedente *Capite* pro *Dianâ ſuâ*, itidem & vos mirum in modum ſatagere; non labori, non ſumptui parcere, non *attentioni* ulli: De *grege* verò non perinde ſollicitos eſſe. Etiam hoc quoque dicitur, ad illos conſeſſus veſtros & Conſiſtoria, ſi veſtrûm cujuſquam privata res agatur, ſive lucrum eſt, ſive vindicta, alacres, arrectos, *attentos* advolare vos, ac vehementer quidem perorare: ſin aliquid in commune tractandum, ſi collatis ſententijs deliberandum, vel ne quid *Eccleſia* detrimenti capiat, vel cum quid *Eccleſia* detrimenti cepit, ſi res *gregis* præ manibus eſt, concidere illico *attentionem* veſtram, ſubducere ſe quemque, vel non intereſſe, vel, ſi interſit, tepidum & tacentem ſedere, & obtorpeſcere: Multum ut interſit inter geminum hoc *attendite*, 1 *gregis*, & 2 *veſtri*.

Non ſic factum oportuit (*Patres*;) vobis verò quam veſtri, tam *gregis* habenda *attentio*: Addo etiam (quia *grex* abeſt, & hîc ſoli jam ſumus,) major *gregis* quàm *veſtri*, præ

cujus

cujus *attentione*, nec vobis ipſis interdum eſt *attendendum*: pro eóque, ad magni PASTORIS exemplum, veſtri non dicam ludi, quin ſeria; nec ſeria modò, ſed tempus erit, cum anima quoque ipſa ponenda eſt.

*Attendite gregi univerſo.* Levate nunc in circuitu oculos veſtros, & videte: omnes iſti qui congregati hîc jam adſunt, *grex* veſter ſunt: omnes illi qui in caulis ſuis quiſque non in urbe ſolùm & propinquo rure, ſed per remotiſſimas *Regni* partes abſunt, *grex* veſter ſunt. Nobis quidem *particulæ Gregis* quædam; vobis verò *univerſus* per univerſum hoc Regnum *Grex* commiſſus eſt. Cum [*univerſo gregi*] dixit, vobis dixit: *greges* namque noſtri, *Gregis* veſtri pars ſunt; nos ipſi, quibus in DOMINO præeſtis, *Gregis* veſtri pars ſumus. Quæſo vos (*Patres*,) idque in viſceribus IESU CHRISTI, & hijs & illis, & veſtris & noſtris, & nobis ipſis, *attendite: Attendite univerſo Gregi.*

Latum verò campum, & quem metuo intrare; ſed decurram brevi. Sunt verò in *univerſo* hoc *grege* veſtro, ſunt oves erraticæ, ad alieni vocem aliquam per abrupta *Schiſmatum* palantes: Nolite dicere, Errent verò in malam rem; ſed *attendite* ut *reducatis.* In *univerſo* hoc *grege* veſtro, ſunt morbidæ aliæ, quas vel Cancer depravatæ opinionis, vel diſſolutæ vitæ labes depaſcit: Nolite dicere, *Quod perit pereat*; ſed *attendite* quæſo ut *alligetis.* In *univerſo* hoc *grege* veſtro, ſunt & protervæ, quarum jam valdè numerus excrevit, maceriam atque ſepta tranſilientes; oves alias, etiam ipſum quoque Paſtorem, latere atque cornu impetentes: Nolite dicere, * *Non eſt bona fama quam ego audio de vobis*; nolite ſic; ſed *attendite* quæſo, ut *coërceatis.* In *univerſo* hoc *grege* veſtro, ſunt porrò aliquæ (non multæ quidem, ſed ſunt tamen aliquæ) mites, moratæ, condocefactæ: Nolite dicere, *Si bonæ ſunt, ſibi ſunt*; ſed *attendite* quæſo ut *conſolidetis.* Non multæ enim ſunt hæ, ſed multò tamen pauciores futuræ, niſi per vos mitiùs cum ijs, & remiſſiùs agatur. Nec enim ullarum jam deterior conditio, quàm harum; quarum quia levis natura eſt, invitat tondentem. Et certè ut jam tempora ſunt, nihil minus expedit quàm moratam eſſe; nihil magis quàm moroſam: Moroſis enim

* 1. Sam. 2. 24.

 illis

illis parcitur; nemo uber illis tractare, nemo vellus attingere: at misellis istis incumbunt censuræ, incumbunt solutiones omnes; toties huc ad mulctram veniunt, ut jam sanguis exprimatur, non lac; sanguis certè. Parcite verò hijs (*Patres*;) quantùm potestis, *parcite* hijs, illas *reducite*, alias *alligate*, alias *coërcete*, *universis attendite*.

Addo unum modò, nec vos hac in parte diutius tenebo. *Attendite Gregi*: quod *nisi vos gregi, grex vobis attendet*: Præter naturam hoc quidem, & monstri simile est, *grex vobis*; sed tamen hoc in genere nuper, nec id quidem leviter, attentati estis. *Grex* ipse petulantior jam factus, usurpare sibi cœpit *attentionem* vestri: dúmque vos populum lentè curatis, vos populus curat scilicet. Inde enim nuper malè feriati illi tam oculati, tam attenti, tam Lyncei in mores & actiones vestras: Inde illæ nuperæ tam curiosæ inquisitiones, & disquisitiones in mensas & cubicula vestra: Inde *Itineraria* illa, *Registra, Fasti*, quid à quoque vestrûm, quando, quibus in rebus, erratum est. Quid aliud hoc ὕστερον πρότερον, quàm levis vellicatio remissionis vestræ? *Attentio* nempe *gregis* ad *vos*, dum ipsi ad *gregem* parum *attenditis*. PETRO dormienti CHRISTVS: SIMON, *dormis?* Addidi prius glossam unam, SIMON, *dormis*, qui alios excitare debueras? *Addo* jam aliam: SIMON, *dormis*, & IVDAS non *dormit?* Vobis (*Patres*) addo: IVDA vigilante, nec uno IVDA, istis tot IVDIS pervigilantibus, istis tot IVDIS insidias vobis tendentibus, istis tot IVDIS ad perniciem vestram attendentibus, Vos vobis ad salutem non *attenditis?* *Attendite* verò; *hora jam est*, vos *vobis*, & *gregi* vestro *attendere*. Ac de *attentione* vestrâ huc usque *extensivè*: Pergit verò jam, & *intensivè* loquitur *Apostolus*.

III
De attentionis *intentione*.
**Psalm. 78. 57.*

QVia enim (ut ante, de * *Psalmis*, citavi) fere *instar arcus dolosi* sumus, & nervus noster citò de tenu delabitur; ne labascat denuò *attentio* nostra, nectit tres nodos *Apostolus*, & quasi *funiculo triplici* astringit ad officium. Quæ namque restant, statumina tria, & quasi tres monitores sunt, qui quod *Vestalis* illa Sacrorum *Regi* apud *Romanos*, perpetuò vobis ad aurem occinat, *Vigilasne? Rex vigila*: *Attentiditísne*

(*Patres*

*(Patres & Fratres?) etiam attendite.* 1

Monitor primus *Munus* ipsum: *Positi estis Episcopi ad pascendum.* Primus quidem, at quanquam primus, non tamen unicus: Singulæ enim voces, *Positi, Episcopi, Pascere,* singula argumenta sunt: *Positi,* Munus designat; *Episcopi,* Nomen; *Pascere,* Similitudinem: Titulus & Nomen, quo notati; Imago & vmbra, quâ repræsentati; Munus & Provincia, ad quam vocati estis. Hæc vos omnia unâ voce ad *attentionem* vocant. *A Munere ipso.*

In eô quod *positos* dicit, non vel obiter, vel casu, sed consultò, & (ut ita dicam) ex *intentione* locatos indicat. In eo quod *Episcopos,* idem bis iterat: *Episcopatus* enim, vi vocis, AMBROSIO interprete, *Super-attentionem* significat. In eo quòd *pascere,* idem ter inculcat. Pervigil enim vocatio *pastoratus*; & nec de nocte vel somnum capere potest, vel de *attentione* suâ quicquam remittere. Ad hoc designati, cum hoc comparati, ab hoc denominati estis: Hoc estis; este quod estis: *Attendite Muneri, Nomini, Exemplari* vestro, & sat est.

2

PRimus hic Monitor, Similis huic secundus, Muneris Objectum; *Super Ecclesiam* DEI, *quam proprio sanguine acquisivit:* id est, quem pascitis *gregem,* cuiq; *pascendo positi,* imò *præpositi* estis, *pusillus est, (Luc. XII. XXXII.) Pusillus,* sed *inclytus, (Ierem. XIII. XX.)* Nam etsi aureum vellus non habet, at animas habet auro contra non caras: eo magis sollicitè à vobis, atque anxiè custodiendus. Nam hic quidem Cœtus, quem *Ecclesiam* dicimus, quemque plerique tam frigidè & lentè curamus, si PETRO credimus, *consortes divinæ naturæ* sunt; si IOANNI, *Municipes cœlorum* sunt; si PAVLO, *Iudices Angelorum futuri* sunt. Ab hoc Versu non discedo: vel hic unus satis per se momenti habet, ut non possit non *attentus* esse *gregi,* qui huic uni attenderit. Tria ponit: *A Muneris Subjecto.* *1.Pet.1.4.* *1.Cor.6.3.*

1. *Grex* iste vester *Eccelesia* DEI est, & hoc ipso quòd DEI est, curanda certè, nec pro levi habenda est. 2. DEI verò, non quidvis, aut quovis modo. Non enim solùm, (ut reliquæ in mundo creaturæ; ut mundus ipse,) ποίησις modô DEI, id est, *compositio,* sine vel pretio vel sumptu; Dixit, & factum est: Immò verò plus est, nempe περιποίησις, id est, *acquisitio; mercimo-*

*mercimonium* DEI; pretio Illi ſtetit. 3. Pretio autem non quocunque, *non corruptibilibus auro & argento*: pluris, multò pluris *Eccleſia*, *Sed Sanguine*: Nec illo *Hecatombæ* alicujus, nempe vel belluino, vel humano, vel (verbo dicam) *alieno*; ſed *proprio*, & *ſuo*, *pretioſiſſimo* ſcilicet *ſanguine acquiſivit*. Non tanti Illi *Reſpublica*, non Regnum ullum, non tanti mundus ipſe, quanti *Eccleſia*. Tanti fuit Illi *Gregem* hunc redimere: Tanti ſit nobis ad *Gregem* hunc *attendere*. *Pupillam oculi Divini* olim ſub veteri Teſtamento ZACHARIAS *Eccleſiam* dixit: multum dixit; non aut pilus aut unguis, non vel pedis digitus vel manus, verùm *oculus*; & *oculi* non quivis circulus, non albugo, non iris, quin *pupilla* ipſa: Eam verò ſi quis, non pungat vel premat, ſed ſi vel leviter attingat, peſſimè iſtuc in ſe conſulet. Ille quidem ſic. Plus magíſque ſpirat hic SPIRITVS in Teſtamento Novo: cum, non *pupillam Divini oculi*, ſed *cordis Divini ſanguinē*, *Eccleſiam* dixit: immo *Gregem*, præ quo *ſanguis* ipſe, Illi non charus; quin pro quo *ſanguinem* non ex venâ aliquâ, vel parcè, vel malignè, ſed ex *corde* intimo, & copioſè, & totum profudit. Hæc, niſi *mandragoras* bibiſtis, ſuſcitabit vos; hæc *attentos* reddet oratio: hæc, niſi mortua eſt *attentio* veſtra, expergefaciet illam: Omnis enim rei tam charæ *attentio*, infra dignitatem eſt.

Zac. 2. 8.

3 *A* Muneris *Anthore*.

Secundum monitorem audîſtis; porrò jam tertium audite: nec illum minùs, quin (ſi quid mei judicij eſt) magis etiam audiendum.

A quo huic præpoſiti eſtis tam pretioſo *Gregi*, is SPIRITVS SANCTVS eſt: SPIRITVS *vos poſuit*. In Illum peccatis, qui vos *poſuit* SPIRITVM SANCTVM, ſi ad quod vos poſuit, non *attenditis*. Muneris enim vobis author SPIRITVS Ille, veſtrûm omnium Deſignator, Conſecrator, *Metropolitanus* eſt. Non enim, ſi veri nominis & non titulo tantùm tenus *Epiſcopi* eſtis, *Epiſcopos* vos hominum quiſquam; PATER ipſe *OEconomos* fecit *familiæ ſuæ* (*Luc. XII.*) CHRISTVS ipſe *Paſtores* dedit *Eccleſiæ* (*Epheſ. IV.*) SPIRITVS SANCTVS ipſe *Epiſcopos vos poſuit*. CHRISTVS *oſtium* eſt; Idem *oſtium*, idem *veritas*; qui ergò *veritatem*

Luc. 12. 42. Eph. 4. 11.

Ioh. 10 9.

*tatem aperit* (inquit AVGVSTINVS) *ostiarius est*; Is autem est SPIRITVS SANCTVS. Quòd si quis sit, qui per hoc *ostium* non intravit, cuíve hic Ostiarius non aperuit, sed *aliunde ascendit*, per scalam ambitionis, per impluvium largitionis, per pseudothyrum cognationis, non miror, si *gregi* minùs *attendat*. Non enim illum SPIRITVS SANCTVS hic, sed alius (quem dicere nolo) *Spiritus Episcopum* posuit. Quare si cujusquam in Palatio, sacrilegæ Ecclesiarum nundinationes; si cujusquam in visitatione, major nummorum ratio quàm morum; si cujusquam in Curiâ, venales Canonum dissipationes (non enim *dispensationes*:) verbo absolvam, si cuiquam præ auri sacrâ fame nihil est sacrum: inde mala hæc, inde alia hijs plura; quòd *mercenarius* fuerit, non *pastor*; quòd *Mammonæ Episcopus*, non SPIRITVS SANCTI. Vos verò (*Patres*) quia à SPIRITV accepistis, ut vos hoc loco poneret, ab eodem accepistis (spero) ut hæc ipsa cogitatio, quòd *Ille* vos hoc loco *posuit*, quotidiè vobis, quasi cos, acuat magis magisque *attentionem* vestram. Nôstis enim reddendam Illi rationem, qui vos *posuit*, *œconomiæ* vestræ, quæ, quantáque vobis in illâ *attentio* fuerit; quàm altè vobis sederit vox ista [*attendite*;] ab Eoque vel immarcescibilem gloriæ coronam, præmium *attentionis* vestræ; vel cruciatum & intolerabilem sentienti, & interminabilem sustinenti, supplicium *remissionis* vestræ, expectandum. Omnino qui vos ad hoc Munus posuit, ponet vobis, vel cum Sanctis partem, si *attenti*; vel cum hypocritis partem, si *remissi*, in die illo. Et quid superest? En vobis mortem & vitam, en cœlum & gehennam, en æternùm vel flere vel gaudere in manibus *attentionis* vestræ: *Attendite* igitur, & sollicitos vos habeat cogitatio, si non officij, saltem periculi hujus vestri.

*Ioa.10.1.*

*Attendite*, inquam: idque cùm perpetuo facite: Domi quisque in speculâ, foris in visitatione vestrâ; (*Consistoria* enim vestra *attentionis sedes* sunt; *Visitationes vestræ, attentionis itinera*:) tum verò in *Synodo* hîc hodie, vel maximè. *Synodorum* enim, vel vno hoc *attentionis* nomine, in *Ecclesiâ* illustre semper nomen, & cum celebris tum salubris authoritas: in quibus, dum *Synodum* quisque suam (de quâ initiò dixi,)

dixi,) quam circumfert in pectore, *curæ* atque *consilij*, in communem *Synodum* confert, magnum semper remedium extitit, ad κατάρτισιν *Ecclesiæ*. Si quando enim *murmur* in eâ *exortum*, hîc *sedatum est*, Cap. VI. Si quando *emersit hæresis*, *hic profligata est*, Cap. XV. *Si quando quid ullâ in re cuiquam indulgendum fuit*, *hîc dispensatum est*, Cap. XXI. Benedictus DEVS qui dedit talem potestatem hominibus: Beati verò homines, quibus potestate hâc datâ legitimè uti fas.

Ad vos venio (*Amplissimi viri:*) frequentia hæc, & hic vester non modò celebris, sed etiam sacer *Conventus* ecquid molitur? ecquid agit? Ita convenîstis, ac si aliquid congressu, consultatione, consideratione dignum: itáne discessuri, ac si nihil prorsus curâ, consilio, correctione egeat? Quasi *Curatores* advenîstis huc ad læsam *Ecclesiam*, *an quasi*
Luc.10.32. *Sacerdos* ille & *Levita* (Luc. X.) *venturi tantùm & visuri, abi-*
Ver.33. *turi dein & relicturi in statu quo?* Scio quidem non licere *Synodum* hanc nostram claudere, ut PAVLVS hîc suam, *Non concupivi aurum aut argentum cujusquam vestrûm:* Scio certè, quis enim hoc nostrûm nesciat, *Poëtæ* vocem ad *cives* suos, *Prophetæ* vocem ad *cleros* nostros, esse potuisse, — *quærenda pecunia primùm, Virtus post nummos.* Siccine verò, *Ecclesia post nummos?* Absit ut sic, sed utinam uel sic: utinam vel *post nummos Ecclesiæ* ratio. Prima cura non datur; Secunda utinam, vel tertia: vel tertia? Utinam vel postrema, ac non omnino nulla *Ecclesiæ* ratio. Toties enim hîc jam in *Synodo* conventum est, toties inde, nullâ *Ecclesiæ*, planè nullâ ratione habitâ, discessum est. Quiáne nihil luxatum, nihil ruptum, nullæ ruinæ, nulla ruta cæsa *Ecclesiæ?* Quiáne omnia κατηρτισμένα, omnia vobis ex sententiâ, omnia omnibus numeris absoluta?

Psalm.141.5. Non eò veni, (*Patres,*) ut *oleo peccatoris impinguarem* vobis *capita:* Quare propitijs auribus vestris dicere mihi liceat: Nemo tam durâ fronte est, ut dicat; nemo tam levi cerebro, ut credat dicenti. Sunt verò sunt aliqua, oratione nostrâ, *attentione* vestrâ digna, & *ad quæ*, si qui *Mileti* tum fuit, vobiscum hic jam esset PAVLVS, juberet vos *attendere*. Neque verò perfodiendus mihi paries erit, ut ostendam,

oſtendam, quæ ſint; nihil opus certè, proſtant enim jamdudum ſponte ſuâ, & ipſa ſeſe dant in conſpectum.

Olim ſic ordiri mos fuit, *Attendite ab hæreticis, à Schiſmaticis*; ego verò inde initium non ſumam; nam & in hijs, & in hijs ſenſus aliquis Numinis: Inde mihi initium, *Attendite ab Atheis, ab Epheſinis illis Beſtijs, Attendite* ab hijs quibuſcum vos PAVLVS hîc, vna ſecum, ad θηριομαχίαν vocat.

Qui non (ut illi) partem aliquam pervertere *Religionis*, ſed totam evertere; & quæ hactenus illibata manent *Religionis* Myſteria, de TRINITATE, de CHRISTO, de DEO, auſu temerario, ore inceſto, atque ipſum hunc aërem noſtrum peſtilenti halitu afflante, idque palam nec obſcuris in locis, per jocos fulmine dignos non verentur traducere; & prohibeat adhuc deteriora DEVS. Adeóne apud nos elanguiſſe Diſciplinæ vigorem omnem, ut hæc impunè liceat? Saltem *ad hos* quæſo *attendite*: ſaltem horum, cœlo atque terræ, DEO hominibuſque execrandam petulantiam coërcete. Vt ut ad cætera connivere certum eſt, & DEO *Vindici* reſeruare, hoc arcete nefas: ſentiant quæſo hij aciem atque aculeos (ſi modò eſt aliqua veſtra) authoritatis veſtræ. Et en vobis campum, in quo conſecrare DEO poſſitis *primitias attentionis veſtræ.*

Cum ab hijs diſceſſum eſt, *attendite* ad transfugas illos, *Romani Lupi* emiſſarios, profeſſos, & Regni & Religionis hoſtes, tubas & faces & ſtabella ſeditionum, per triginta jam annos; quique vos ſingulos ad cædem, veſtras ſingulorum Sedes, tertium jam ſibi deſignârunt. Per hos enim fit, ut *Gangræna* illa non jam *ſerpere*, ſed *graſſari* indies magis, nec agrum DOMINI tam uberes manipulos, nec vineam DOMINI tam juſtæ magnitudinis uvas, ab aliquot jam annis ferre, quia remiſſior circa illos *attentio* veſtra. 2.*Tim.*2.17.

Neque verò cum *Ægyptijs* hijs, nobis lis modò, ut olim MOSI; etiam cum refractarijs *Iſraëlitis* quoque, qui domi hic diu turbas dederunt in *Eccleſia*. Heu quid faciet *lupus*, ſi *grex* ipſe ſe devoret? O alma Pax! nihilne ſpei reliquum eſt, ſemel ut per te coaleſcat *Eccleſia?* Si quicquam vſquam eſt, ſi vel *ſcintilla* vel *linum fumigans*, nolite (quæſo) *extinguere.* Quòd ſi, qui tam altè aquas *Meribæ* imbiberunt, ut *Eſa.*42.3.

certum sit illis; potius cœlum terræ miscere, quàm ut cedant de sententiâ; audeo dicere; & salvâ charitate audeo; incidant in *lupos* qui nolunt regi à *Pastore*. *Attendite* tamen ab hijs. Nam etsi hæ quidem lites nuper nonnihil sopitæ sunt; tamen, si bene novi inquieta quorundam hominum ingenia, qui *leges dare Ecclesiæ* volunt, non *ab eâ accipere*, nec cum dormiunt illi, vobis dormiendum est. Nolim equidem irritari; (sum enim avidior fortasse quàm par est, pacis;) sed nolim tamen eò minus observari.

Sed quicquid hijs fiat, etiámne, lymphatos illos feretis, eò jam amentiæ atque insolentiæ provectos, ut & *Sacramenta* in superfluis ponere, & *Symbolum Apostolicum* proscribere, & *Dominicam orationem* exauthorare, & ad *secessus* ac tumultus populares omnia revocare non dubitent? etiámne feretis illos? Certè si hæc ita liceat, nec occurrat hijs malis *attentio* vestra, pro *Sione* brevi futuri sumus *Babel*, in quo, cuivis, quidvis impunè & scribere & sentire liceat. Primum jam stadium decurri.

Neque verò ab illis modò *attendite*, sed ad illa *attendite* quæ causantur: Nec enim temerè omnia sunt, quæ causantur, nec surdâ vobis aure prætereunda. Querela vetus est, nec jam querela, sed *clamor*: Sacris initiatos per vos, inque Ordinem hunc nostrum ascitos *novissimos populi*; nec modò ignaros penitus atque illiteratos, sed & infamiæ notis aspersos, ac omni flagitiorum genere contaminatos; Et sanè hinc aliquot ab annis, hoc in genere largiter peccatum est. At jam curâ id fit & virtute vestrâ (*Patres*) ut amoveantur hinc demùm multi quò digni sunt. Bonum factum? Factum & DEO approbante, & cœlo favente, & hominibus acclamantibus, *Fiat, fiat.* Quare ut magis magisque fiat, quod ita factum placet, precibus apud vos summis intercedit *Ecclesia*.

Proximè post hos, *attentionem* vestram requirit scelerata illa *Simonis* & *Iudæ* fraternitas; IUDÆ, *Quid datis mihi?* quærentis; SIMONIS vel pecuniam vel pejorem pecuniâ conditionem offerentis. Nec hoc solùm in nobis *minoritis*, qui sic Rectorias nostras ferè paciscimur; sed & apud vos *Majoritas*, quos sic *Cathedras* vestras, nempe vel pecuniarum summis,

summis, vel Ecclesiarum spolijs fœdè cauponari vulgò dictitant. Quo morbo malè jam-diù & habet & audit *Ecclesia* nostra: Et *nunquid non est resina in* GILEAD? quare igitur non est obducta cicatrix *lepræ* hujus? *Ier. 8. 22.*

Postquam autem à Domo DEI cœpistis, & illud curate, ut fiant increpationes in *Populis*. *Populus* enim noster, quàm (quæso) in ipsa Domo, in cultu, in præsentiâ DEI non religiosus? Quàm verò supinus? non aperire caput, non incurvare genu, non reverentiæ signum ullum exhibere, dum fiunt preces; non alio prorsus aut gestu aut habitu in Templo hîc rem divinam facere, atque in scenâ vel orchestrâ histrionem spectare. Idem ille *Populus* noster quàm porrò procax? ut non modò *Artifices*, sed & *mulierculæ*, jam, & operæ tabernariæ, immiscere se quæstionibus Ecclesiasticis, & quasi in *Synodo*, sic in officinâ aliquâ, abundare istud in *Ecclesiâ*, deesse illud, nimis petulanter decernere. Quàm denique totus collapsis moribus, quàm effusus in luxum, vel œnopolia tot de novo indies multis in locis emergentia; quàm ad malas artes ingeniosus, vel formulæ forenses, quibus nullæ jam membranæ satis amplæ sunt; quàm præceps ad vindictam, vel tam multa quotidie in rem Causidicorum pretiosa odia & magno constantia, argumento esse possunt. Ægræ hæc sunt Civitatis indicia; tempus est ut fiant *increpationes in populis*.

Postremò, horum omnium abusuum medicina abusus ipsa est: (redeo enim ad nos.) *Censura Ecclesiæ*: Vos quæsô *attendite*, & medicinam apponite medicinæ vestræ. Quæ enim ad scelera profliganda data sunt, *flagellum* CHRISTI, *claves* PETRI, solam jam crumenam pulsant: Ad scelera verò, & *flagellum* CHRISTI funiculis exarmatum, & *Claves* PETRI rubiginosæ jam sunt, nisi vos *flagello* funiculos novos, novum *clavibus* splendorem, *attentione* vestrâ inducatis. Vulgò id dicitur, tædium esse deferre ad *Officiciales* vestros maleficorum quenquam; ubi enim stipem persolverint, dimitti impunitos; nec minùs pòst quàm antè, quin multò magis pòst insolenter bacchari: stipem quidem si nulli numerent, si nummus in promptu non est, tum verò

 distringi

diſtringi in eos mucronem veſtrum Epiſcopalem, confeſtim vno ictu abſcindi ab *Eccleſiâ, Sathanæ* tradi, *publicanum, ethnicum, anathema* denunciari. Quæ illi jam, quia ridiculis in rebus, idque in optimum quemque paſſim & temerè volitare vident, quaſi *bruta fulmina*, & ſoli metuenda crumenæ, contemnere didicerunt: ac quotidie magis contemnent atque magis, niſi detur à DEO vel illis melior mens, vel veſtris hijs major *attentio*. Vtinam verò (*Patres*) Regiâ primùm, veſtrâque ac Ordinum authoritate ſanciatur, pecuniarias ad lites mulctam potius aut carcerem adhiberi: hoc verò *fulmen*, ad graviora ſcelera, quibus à DEO fabricatum eſt, (ut par eſt) reſervari, nec ita paſſim proſtituti, ad contemptum tremendæ illius *Cenſuræ*, ad ſcandalum *Eccleſiæ*, ad opprobrium atque dedecus Ordinis & authoritatis Veſtræ. En vobis (*Patres*) de acervo manipulum: in quibus commodè vobis veniat in mentem, commodius vertatur in praxin, Veſtrum *iſtud attendite*.

Quæ verò vobis mens, quod conſilium eſt (*Patres*) aut quid tandem? malis hiſce noſtris finem afferre poteſtis, an non poteſtis? Non poteſtis? *Tu* ergo DOMINE, *miſerebere Sionis, quia tempus faciendi, quia tempus venit.* Poteſtis verò? non tamen à vobis: ſcio certè. Ex quo enim *Principes* CHRISTO nomen dederunt, illorum quoque authoritas ad hoc interveniat neceſſe eſt. Per Illam igitur noſtram optimam & vobis (uti fertur) ſatis attentam *Principem* poteſtis: Nam quâ apud Eam gratiâ valetis, ſicubi *attentionem* in *Eccleſiâ* veſtrâ requiri vnanimes vnâ voce ſignificetis, permiſſura certè vobis eſt id, vt faciatis, quod vos SPIRITVS SANCTVS vult facere, quodque vos eo loco *poſuit*, ut faceretis. Permiſſura (inquam) vobis, Ipſaque non minùs libenter, quàm PAVLVS ipſe, vobis dictura, *Attendite*.

Pſal.102.13.

Vos modò tentati iſtuc: vindicate Vos & hunc ſacrum Cœtum ab illâ calumniâ, cogi nos ut *horologio* potius quàm *gregi attendamus*: Obſtruite os maledicis, qui *Synodos* noſtras, negotiationes meras appellitant, ut *Fiſco* potius quàm CHRISTO conſulatur, utque initio dixi, *attonſioni gregis*

potiùs

potiùs quàm *attentioni*. Saltem id docete, dies has *nouercas* esse, non vos *vitricos Ecclesiæ*; nec vos Officio vestro, sed Vobis tempora defuisse.

Vos hæc (ut dixi) tentate. Nos verò huic ex inferiore loco, studia vestra & conatus sacros, votis optimis omnibusque prosequemur, ut quod *Mileti* PAVLVS, idem, vos hîc, hodiè in *Synodo* vestra; *Ecclesiam* CHRISTI sanguine emptam, Vestrâ *attentione, intentione, contentione* non indignam judicetis. Restituatis ei venustatem pristinam, restitutam conservetis. Denique semper & in omnibus revocetis ad IERVSALEM *caput lætitiæ vestræ*. Quod Ille velit, jubeat summus DEVS, cujus Sacris operamur omnes, intercedente FILIO, superveniente SPIRITV, quibus in TRINITATE Personarum, Uni, Immortali, Invisibili, soli sapienti DEO sit omnis laus, honor, gloria, & gratiarum actio, nunc & in sæcula sæculorum.

*FINIS.*

# CONCIO
# LATINE HABITA,
## CORAM REGIA MAIESTATE,

*V°.* Augusti, *MDCVI.*
in Aula Grenvici:


*Quo tempore venerat in Angliam, Regem nostrum* invisurus, Serenissimus Potentissimúsque *Princeps* CHRISTIANVS *quartus, Daniæ* & Norvegiæ Rex.

Ab Episcopo Cicestriensi
*Eleemosynario Regio.*





*LONDINI,*
Excudebat *Felix Kyngston* pro *R. B.*
& *Andræa Hebb.* 1629.



PSAL. CXLIIII. VER. X.

*Ipse est qui dat salutem Regibus: qui eruit* DAVIDEM *Servum suum de gladio maligno.*

I.



Udito versu hoc quem recitavi, vix quisquam est, qui non advertat, eum, & instituto huic nostro, & tempori convenire. Tempori; de *Regibus* enim hîc mentio, de *salute Regibus datâ*; de uno, præ reliquis, *Rege*, DAVIDE periclitante & *servato*; à *gladio*, periclitante & *servato*: Appositè verò omnia.

Ecce enim *Reges, Reges*, quibus DEUS *salutem dedit*; *salutem dedit, & salutem dat*; *salutem dat*, detque, etiam atque etiam, *salutem* multam, in annos multos. Ecce autem, *Regem* nostrum *servum ejus*; quem, die hoc ante sexennium jam, (hoc ipso inquam die) *eruit* DEUS, mirificè *eruit à gladio maligno*. Conveniunt certè: simul dum contextus verba audimus, quasi commentarium ejus, habemus ante oculos.

Quod verò ad institutum nostrum: Frequentia hæc, & hic noster, non modò celebris, sed etiam sacer conventus, quid molitur, quid agit? Quid aliud, quàm, ut DEO gratias agat, de *salute Regi* præstitâ? Quid verò Versus hic aliud sonat, quàm, DEO gratias itidem, de *salute* DAVIDI *præstitâ?*

Præcedente enim Versu, arripuit Citharam PSALTES, nervos aptavit, canticum pollicitus est, canticum novum. En verò novi hujus cantici Argumentum in Versu hoc; totum in Versu hoc, (proximus enim Versus oratio est, nec quicquam habet cantici in se.) Argumentum verò hoc gra-

 tiarum

tiarum actio: & gratiarum, de beneficio non alio, (etsi erant multa alia) tamen, de beneficio non alio, quàm *Regis* incolumis. Quod scilicet, servator Regum, id est, DEVS (hæc namque DEI Periphrasis est, *Qui dat salutem Regibus:*) quòd *Regum servator* hic, *servâsset servum suum* DAVID, ab insigni aliquo discrimine: discrimine autem non alio, quàm *gladij maligni*, id est, proditorij.

Atque ita quidem, Versus hic: atque ita illum tum, cecinit populus Israël de *Rege* suo sospite: *Ipse est qui salutem dat Regibus: qui eruit* DAVIDEM *servum suum de gladio maligno.*

Ac nos quidem, idem ipsum hîc hodiè modulamur; idem per omnia, unicâ tantum voce leviter immutatâ: *Ipse est qui salutem dat Regibus: Ipse est qui eruit* IACOBVM *servum suum de gladio maligno. Ipse est,* qui hoc fecit; *Ipse est,* quem, de hoc facto, Festo, Concione, Cantico, hûc, hodiè; omnes, celebraturi convenimus.

Ac, solenne hoc quidem apud DEVM, nec novum certè, *Regibus salutem dare:* Vetus hæc illi bonitas est: veteris tamen hujus, nec novæ bonitatis, nova subinde exempla edidit; etiam, sæculo nostro edidit, nec, ad hunc usque diem, cessat edere. Hoc enim, quòd hîc hodiè celebramus; etsi novum sit, (& est sanè novum,) novissimum tamen non est. Nam, ex quo nos Illo dignatus est DEVS, unum etiam atque alterum intercessit, quo nos scilicet DEVS beavit, de novo. Bis, térve, DEVS salutem dedit: bis, térve, Illum DEVS eruit; & (ut alia mittam, præclara quidem illa) qui sexto abhinc anno, eruit eum de gladio maligno; nuperrimè, hoc anno, (anno hoc,) eruit & illum à pulvere maligno: Ita nos quotannis novâ salute cumulat. Nostrum jam erit DAVIDEM hîc imitari. Et in singula exempla nova, cantica nova; in singulas salutes novas, novas gratulationes meditari: Ita, nos quotannis novâ salute cumulabit: vetera recensentes, recentibus cumulabit: nec unquam, deerit nova cantici materia, si novum canticum non deerit. Antiqua, modò, ne antiquentur; succrescet nobis, quotannis, seges nova gratiarum.

Atque hæc, de summâ versus hujus, summatim. Partiri

verò

verò Versum hunc, in proclivi labor est. Ipse sese diducit ultrò; & duas in partes findit. Alteram, *Thesin: Hypothesin*, alteram. *Thesin*, de curâ Regum in genere: *Ipse est qui salutem dat Regibus. Hypothesin*, de curâ DAVIDIS in individuo: *Ipse est qui eruit* DAVIDEM *servum suum de gladio maligno*. Vel certè (quia in musicis sumus, & cum cantico nobis res est) *Regum* cura communis, quasi cantus est, Cantus firmus: DAVIDIS cura singularis, quasi Discantus, seu Cantus figuratus. De DAVIDE verò, etsi illum multifariam, multísque modis & temporibus liberavit DEUS; tamen in unico hoc insistit, (quod, & huic tempori, atque nobis, peculiare est,) quòd, *à gladio maligno*.

Dicam primùm, de Regum salute generatim, deque ejus tum causâ, tum modo donandæ. 1

Pòst, de DAVIDE Rege liberato. 2

Postremò, de Nostro. 3

*Quæ ego dum sic singula complectar, &c.*

---

## *Ipse est qui dat salutem Regibus.*

De Thesi primùm recepi.

*Qui dat salutem:*

*Qui dat Regibus.*

*Salutem dare*; Servatorem se præstare, usque adeò Divinæ naturæ convenit; ut illud sibi DEUS quasi nativum proprium ac peculiare vendicet. Esa. 43. 11. *Ego, ego sum, & præter me non est Servator.* Ita Servator est: Servabit igitur. Ψ. 33. 16

Et quidem *homines & iumenta servabit* DEUS, tam insignis est misericordia Ejus: ait Propheta noster, Psal. 36. 7. Ita bruta quoque natura, salvificæ in DEO virtutis particeps est: Ipse est, qui *dat salutem*, etiam brutis animalibus. Jona. versu ult.

Etiam, vel brutis animalibus, sed sic tamen, ut sciscitari non dubitet Apostolus & quærere, 1. Cor. 9. 9. *Nunquid de bobus cura est* DEO*? annon potiùs propter nos hæc?* Quasi cura

illorum, præ nostrâ, curâ dicenda non sit. Nec est. Nos enim cura illius prima, sumus: proin IOB illum, nostro nomine quasi peculiari titulo compellat, *Peccavi, quid faciam tibi, ô Custos, ô Servator hominum?* Iob 7.20. Ipse est qui dat salutem hominibus.

*Servator hominum*: Sed precipuè Regum μάλιστα διοτρεφέων βασιλήων (ut non malè cecinit Poëta Ethnicus.) Præ toto enim genere nostro, Illi, DEO cordi sunt, atque curæ: Regi, præ cæteris, Θεοφυλάκτῳ nomen convenit: *Magnificat enim salutes Regis sui*, ait PSALTES noster, Psal. 18. ver. ulti. *Protector est salvationum Uncti sui*, ait idem, Psal. 28. 8. In quibuscunque tandem mirabilem se præbeat, *Mirabilis est in Regibus terræ*, ait idem, Psal. 76. ult. Mirabilis certè in illis, in illis conservandis: In nullis magis; in nullis æquè mirabilis. Ita tribus hijs quasi gradibus ascendimus ad *Thesin* nostram. *Ipse est qui dat salutem Regibus.*

Regibus inquam in genere: Nam de Regibus DEI servis, uberior mihi sermo restat, cùm ad *Hypothesin* de DAVIDE *servo ejus*, perventum fuerit.

*Ipse est qui dat salutem Regibus*: Ipse est. Sciant ergo Reges, cui acceptam referre debeant salutem suam. Ipsi scilicet. *Non in fortitudine equi*: Id est, non in equitatu suo. *Non in tibijs viri*: Id est, non in peditatu suo. *Non in navibus Tharsis*: Id est, non in Classe suâ: salus illis. *Fallax est equus ad salutem*: Fragile est lignum ad salutem. Denique *Vana Salus hominis. Domini est Salus.* Ipsius est; Illuc ad ipsum, suspicite. Ipse est, qui vobis de cœlo dicit, *Salus vestra ego sum.* Sciant hoc Reges.

Psa. 147. 10. Psalm. 48. 7. Psalm. 33. 17. Psal. 60. 11. Psal. 3. 8. Psal. 35. 3.

Sciant & Populi, quò tandem oculos attollere, ad quem suspirare debeant, cùm Regem salvum volunt: Ad DOMINUM scilicet cujus est *salus*. DOMINE *salvum fac Regem. Hosanna Tu qui in excelsis.*

Psal. 20. 9. Mat. 21. 9.

Sciant rebelles in populis hinc, exosos se DEO, qui, quam DEUS *Regibus salutem* dat, eripere moliuntur: Sciant fideles in populis, amicos se DEO, & sibi DEUM: qui *Reges servatos* volunt. Idem enim hoc vult DEUS. *Ipse est qui dat salutem Regibus.*

Propiùs accedo. *Qui salutem dat.* Salutem quam? Quamlibet

libet certè, vel illam medicorum, ſani vegetíque corporis contra morbos. Nempe quà mortales ſunt. Nam, (quod nos Imago DANIELIS docere poteſt) *Omne Imperium luteis ſubſiſtit pedibus.* Et Reges *theſauri* quidem populi ſui; ſed tamen *theſauri in vaſis fictilibus:* Proin, illis opus ſalute hâc. Verum ergo, vel ſi de illâ intelligamus; Nam & illam DEVS dat. Verum quidem: ſed non proprium hujus loci. Eſt enim ſalus hæc (ut ſe habet Verſus noſter) à *gladio*, non morbo; à malignis moribus, potiùs quàm à malignis humoribus; ab externâ vi, non ab internâ δυσκρασίᾳ. Illuc igitur me do. *Salutem dat: Salutem* hanc *dat Regibus:* Regibus præ cæteris. Dan.2.33. 2.Cor.4.7.

De causâ jam quæro, & intro magis, & DEI voluntatem propiùs inquiro. Et quid ita præ cæteris? Quiáne præ cæteris *Reges ſalute, ſalutis Datore*, opus habent? Certè quia habent: utpote quibus, præ cæteris, *malignum* ſe præbeat *Malignus ille.* (ſic enim κατ' ἐξοχὴν malum dæmonem, ſæpiùs appellat D. IOANNES, primâ ſuâ Epiſtolâ.) Ipſe eſt, qui perniciem dat Regibus. Nempe Angelus Abyſſi, de quo idem IOANNES Apoc. 9. 11. cui nomen Hebraïcè *Abaddon*: Græcè *Apollyon* eſt, id eſt, nimirum *Perditor. Perditor:* nomen ex diametro oppoſitum DEI nomini. Nomen ejus, *Servator* eſt. Et nomen filij ejus, IESVS, *Servator* itidem (vel Angelo interprete.) Salutem dant illi. At eſt ABADDON, eſt perditor, cui, id in votis unum, ſalutem hanc, ſalutem omnem omnium eripere, tollere, profligare. Ac videte mihi, quàm huc totus incumbat. 1.Io.2.13,14. & 5.18. Mat.1.21.

Dictum hoc nobis paulò antè. *Servat* DEVS *vel jumenta:* nedum *homines:* ac multò adhuc magis *Principes:* Prorſus illi ex adverſo conſurgit ABADDON hic, ac totus fertur in perditionem. Ac potiùs quidem, quàm ut ne perdat, ſatagit vel bruta perdere: Id quod in miſellis *porcis* perſpicuum, quos omnes (veniâ datâ) præcipites egit, & ſuffocavit in mari. Ita, ipſe eſt qui ſalutem aufert, vel brutis animalibus. Mat.8.32.

At verò hominem quemlibet magis, perditum cupit, unum quemlibet hominem, quàm vel totos greges & armen-

*Iob.* 1.12. & 2.4. ta, (vel IOBO teste.) Ita, ipse est qui salutem aufert hominibus.

Verùm enim Regibus, præter supráque mortales cæteros, infensè infensus est: Et, si quis est inter Reges, pietate præcipuus, ut DAVID: Illi præcipuè. Regibus certè semper maleficium meditatur: vel ASSVERVM, Regem Ethnicum (tantùm, quia Regem) sublatum voluit per Eunuchos suos. *Esth.* 2.21 Atqui DAVIDEM! Quoties verò, ille impulsus, immò eversus, ut caderet; & jam ruinæ proximus, nisi Dominus suscepisset eum! ut ipse de se, Psal. 118. 13. Omninò sit qui *det salutem illis*: Est qui tollat.

Quare verò tam impensè Regibus perniciem afferre, salutem auferre machinatur ABADDON iste? Quid illi tantum committere? Certè, quia non est Regibus quisquam, qui sit illi, qui sit Regno illius, hostis capitalior: Illorum enim authoritate & virtute fit; ne, cuíque, quod libet, liceat: (utar verbis Scripturæ) ne *quisque quod rectum videtur in oculis suis* id facere possit impunè: id quod, & potuit, & fecit quisque cùm Rex nullus in Israël. *Deut.* 12.8. Facere verò quemque posse impunè, quod sibi rectum videtur, id verò impensè cupit ABADDON; Animo illius benè sit; Regno illius bene sit; istuc si sic detur.

Rectum enim tum videbitur, in oculis MICHÆ, conflare atq; erigere sibi Idolum intra privatos parietes, *Iudic.* 17. Et quod MICHÆ, quidni & alij? Ita, quot familiæ, tot Idolorum portenta nova. Miseram verò Ecclesiam, ubi sic datur.

Rectum tum videbitur DANITIS, rapere, clepere, nec modò, privatas MICHÆ ædes perrumpere; sed totas adeo urbes, ut *Laish*, expilare, diripere, omnes ad unum internecioni dare. *Iudic.* 18. Rectum tum in oculis virorum *Gibea*, mulierum raptus, & stupra ne nominanda quidem: *Iudic.* 19. Funestam verò Regni faciem, vbi sic datur. Hæc, atque hijs similia ut fiant, id verò valdè velit, & magno mercetur ABADDON. Hæc verò, hijs similia ne fiant, Reges scilicet in morâ sunt. Quare, illos tollere, illis salutem tollere, quocunque modo satagit, in eóque totus est.

Primùm,

Primùm, & ante omnia, ἀναρχίαν vellet. Id si non detur; Tum, Reges, alterum post alterum quamprimum de medio tolli: quò sic fluctuent *regna instar arundinis, in aquâ:* (id quod 1.Reg.14.15.
usu venit Rege sæpè mutato) nec unquam stabilitatem certam consequantur: quò semper tenella sint Rege alio atque alio semper, nec unquam contra mores hominésque nefarios convalescant.

Vidimus jam Quare: Quo modo etiam Reges perditum eat ABADDON, id quoque scire operæ precium est. Fas verò, ex eodem Cap. nono Apocalypseos. Ibi enim, emissarios habet, *Locustas* ex fumo putei ascendentes, (quorum Rex scilicet est) & illos quoque perinde, ut Rex eorum ABADDON, Regum hostes juratissimos. Hos submittit huic negotio. Qui verò *Locustæ* hij? Genus animalium, quibus vultus humanus, capilli muliebres: verùm leonini dentes, & caudæ scorpionum aculeatæ. Non alij sanè, (si Patres audiendi sunt loci Interpretes) quàm ijdem ipsi, quos bis hoc Psalmo, DAVID noster *filios alienos* nominat. Vers.8.11.
Quos D. IOANNES *Locustas* pòst vidit; hos diù antè, DAVID *filios alienos* dixerat. Neque enim DAVIDI ignota gens ista: Neque verò nobis ignota: Parit & ætas nostra *filios alienos. Alienos* certè. Genus hominum, qui sese indigitant de societate IESV: IESVS autem (uti jam diximus) SERVATOR. Quare & hij, si è re nomen habent, si *filij alieni* non sunt, salutem dare debebant: Atqui, nonne *alienum* hoc, & quasi monstri simile, hos qui de IESV SERVATORE sibi nomen fecerunt, pessimè audire, quasi Emissarios ABADDON, proditores Regum, perditores Regnorum, ubicunque pedem fixerunt? Nonne hij *filij* verè *alieni,* qui sub *alieno* IESV Nomine, *alienissimum* à IESV naturâ negotium, nempe perditiones, proditiones, seditiones ubique moliuntur? Ac ut scias esse de eâdem prosapiâ, DAVIDIS & nostros hos; notæ per omnia respondent: *Filij alieni,* (ait DAVID, Psalm. 18.46.) *mentiti sunt mihi:* nempe Illud idem, quod hoc Psalmo bis dicit, *Os eorum loquitur mendacium: dextera eorum, dextera falsa.* Nostri enim hij, nonne per omnia similes? Tantùm, quod DAVID *mentiri* dixit, id illi *aquivocè* respondere: Di-

versâ

versâ voce, re non diversâ. Nam *dextera* quidem æquè *falsa*. Sive enim, ad civilem fidem, *dexteram* dent; sive ad fidem juramenti religione firmandam, eâ, *sacrosancta* tangant: utrobique *dextera* eis *falsa*, & fallens: utrobique vtrâque, & *os*, & *dextera*, à mente aliena, mens aliena à DEO; DEO quidem vero: Nam à DEO *æquivocè*, DEO scilicet *sæculi hujus*, fortè non aliena. Et horum jam, (sivè

2. Cor. 4. 4. *locustas* dicere libeat, sive *filios alienos*;) ope atque operâ, ad *malignos* hosce *gladios* acuendos, ad miscenda toxica, ad pulverem succendendum utitur: Quibus Rex eorum *Abaddon*, sedulò in mandatis dat, (emissarijs suis,) quod

1. Reg. 22. 31. olim, Rex Syriæ ducibus suis: *Non pugnabitis contra majorem quempiam, neque contra minorem, nisi tantùm contra Regem.* Illum ferro, flammâ, sicâ, veneno, pulvere, Illum quocunque modo tollite, Nempe———

———*Rege incolumi, mens omnibus una,*
*Amisso, rupere fidem:*

(ut eleganter poëta:) Concludo jam. Sit qui *det salutem*: Est qui tollat. Sit qui prætendat clypeum benignum: Est qui intentat *gladium malignum*. Sint filij genuini, qui servatos: Sunt *filij alieni*, qui sublatos volunt. Sit IESVS qui *servet*: Est ABADDON qui perdat. Sit CHRISTVS, qui faveat: Est ANTI-CHRISTVS, (nec enim tantùm, quia CHRISTO DOMINO, sed etiam quia CHRISTO DOMINI infestus est, nomen hoc habet ANTI-CHRISTI:) Est ANTI-CHRISTVS, qui *malignus* sit, quíque *maligno* eis, & gladio, & verò etiam pulvere, mortem acceleret.

Scîstis verò jam, & Quare, & Quomodo *Regibus* perniciem afferat ABADDON. Iam Quare etiam & Quomodo DEVS illis *salutem* afferat, paucis accipite. Quare, primùm, Quare DEVS *Regibus salutem dat?* Nimirum, quia vices Ejus in terris gerunt; quia locum tenent, quia personam su-

Rom. 13. 4, 6. stinent: quia Ministri sunt Ejus, ministri primarij. In quo commemorata est quædam necessitas DEO, *servandi Illos*, quia nempe Delegati Ejus sunt. Certè, qui apud exteros, Legati sunt Regum; qui hîc domi in provinciâ, Proreges & Præsides: Regiæ semper prudentiæ pars habita est, eos tutari,

tutari, eos modis omnibus à contemptu vindicare. Honor enim Legati, honor mittentis est, & Proregis dedecus redundat in Regem. Vel DAVID noster, cùm indignè habiti essent, quos suo loco Regi AMMON gratulatum miserat, læsum se in illis putavit: injuriam quasi sui ipsius propriam, severè vindicavit. Itidem se res habet cum summo Rege, cui scilicet nostri hij, vicariam hîc operam præbent: Honor Illi suus, nisi salvis Regibus, (Proregibus nempè suis;) Honor Illi suus, integer atque illibatus constare non potest. Vel Honoris sui causâ, salutem illis procurabit. *Per Eum enim regnant: Ab Eo ordinati sunt.* Per Illum, sunt quod sunt: Redeunt huc omnia, attinere ad Eum, quodammodò interesse Illius, ut quorum Author est, eorum & Fautor sit; & quorum Fautor, ne violentur, eorum quoque Ultor, si violentur. Ratio hæc vna est, cur *salutem* det Illis.

*2.Sam.10.4. & 12.31.*

*Prov.8.15. Rom.13.2.*

Porrò & huic addo alteram. Populos salvos vult DEVS, nos omnes salvos vult: (Salutis enim bonum, quò communius, eò divinius est.) *Tune ut Cucurbitam tuam salvam velis,* (ait IONÆ DEVS) *Ego verò non servem Niniven civitatem magnam, in quâ sunt* 120000. *qui quidem discrimen nesciunt inter dexteram & sinistram? Regibus* jam *salutem dat,* quò det populis opportunè illis, quò, per illos, universis. Nam, inde adeo est, quòd Magistratus non modò DEOS dixit: *Ego dixi, Dij estis:* sed & *Servatores.* Sic enim libro Iudicum, quoties de summo Magistratu mentio fit: DEVS, inquit, *suscitavit illis servatorem* OTHONIEL, GEDEON, IEPHTHE, reliquos. Servatores ergo sunt multorum millium: Servatores tot millium, servare consentaneum, decorum, deniq; DEO dignum. Salutem scilicet illis dare, in quorum salute salus nostra, nostra omnium salus sita est. Locus est insignis apud D. PAVLVM. *Fiant* (inquit) *Orationes pro omnibus hominibus.* Diffusum verò hoc; nimis longum decurrere per omnes. Vultis ergo compendium facere? *Fiant pro Regibus:* Nam si pro Illis, pro omnibus. Illis si benè, benè erit omnibus. Quo in loco, sic potè assurgit Apostolus: Gradus notate: *Pro Regibus* (inquit) quò

*Ion.4.10,11.*

*Psal.82.6.*

*Iud.3.9,15.*

*1.Tim.2.1,2,3.4.*

illi ſalvi: quò illis ſalvis, ſalva pax: in ſalvâ pace, notitia DEI: ex notitiâ DEI, vita honeſta & pia: ex vitâ piâ & honeſtâ, ſalus Mundi. Videtis né? Quaſi, ſaluti omnium, lapis angularis ſubſtruitur *Salus Regum*, & Orationes pro illâ.

Verùm quid ego foris hinc arceſſo hæc? cùm domi nobis naſcantur hîc in Pſalmo noſtro, & quidem multo fœliciùs? Pro *Regum ſalute* Gratiæ agendæ, Verſu hoc; Preces faciendæ, Verſu proximo. Quare tandem? Nimirum Verſu 12. Quò ſic *filijs noſtris*, quò *filiabus*: Verſu 13. Quò *promptuarijs*, quò *gregibus*: Verſu 14. Quò *armentis* benè ſit: Nec vlla, aut *ruina*, aut *exitus*, aut *clamor in plateis*. Nihil horum fiet, omnia *illa ſalva* erunt nobis, *Rege ſalvo*. Numerate verò, Octo ſunt, (quas Patres ex verbis Pſalmi, *Beatus populus, qui ſic*: octo fœlicitates ſæculi, octo terrenas beatitudines dixerunt) omnes ex Regum ſalute pendentes. Nec modò octo has, ſed &, (quæ ſupereſt vltima, ac inſtar omnium eſt, *Beatus populus cui* DEVS DOMINVS.) Ipſa quoque, (ut DEVS *noſter* ſit DOMINVS, id eſt, ut Religio ſalva ſit nobis) magnâ quidem ex parte pendet à Principe. Qui enim certè, in libris Regum, ſex Reges IVDA ſucceſſivè legerit: Qui, in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ quinque Imperatores ſucceſſivè: Qui, domi hîc apud nos quatuor Principes ſucceſſivè viderit Religionem alternantes; & quomodo Reges, ſic populos mutantes in Religione: ſentiet operæ precium eſſe, ut SALOMONI *ſalus detur*, ne ſub-
1.Reg.15.30. lato illo, IEROBOAM peccare faciat ISRAELEM. Quò ergò Gentibus *ſalutem* det, *Regibus ſalutem dat*: Et honoris ſui cauſâ; Et verò etiam humani generis cauſâ, Regibus ſalutem dat. Quare ſalutem det, notum jam. Quo modo det, id ſupereſt. Propero dicere.

*Verbum* primùm *mittendo*, ut ſervet illos: Sin id parum eſt; *manum* quoque *exerendo*, ut aſſerat ſalutem illis.

*Verbo* primùm *ſalutis*. Nam, ne quiſquam, quam DEVS ſalutem dedit, intervertat Illis: cavit edicto triplici, quo, (quaſi vallo triplici) munivit ſalutem Regiam.

Pſal.105.15. 1. *Nolite tangere Unctos meos*: Quo cavit, contra manus violentiam.

2. *Principi*

2. *Principi populi tui non maledices.* Quo cavit, contra linguæ virulentiam. Exod. 22. 28.

3. *In cogitatione tuâ Regi ne detrahas.* Quo contra mentis quoque ipsius, vagam petulantiam. Eccles. 10. 19.

Et ab hijs tribus, si satis salvi, salva res esset: abundè satis consultum foret, *saluti Regum.* Ita, triplici hoc *salutari verbo* prospicit, ne *salus* eorum in discrimen veniat.

Sin hæc satis non sunt (nec satis sæpe sunt:) sed disjecto hoc triplici vallo, *filij alieni*, & consilij coquere, & verba mutire audeant, & verò manum etiam elevare contra Unctos DOMINI: tum verò, ut est in versu 7°, *mittet manum suam de cœlo*, manum suam de cœlo mittet, & de medio discrimine eripiet eos. Hoc verò scilicet, opponendo se, tum contra consilia ipsorum, tum contra ipsos.

Contra consilia ipsorum, partim quidem ea detegendo, cùm vix dum cocta sunt: partim verò dissipando, etiam tum, cùm cocta, condîta, etiam tum, cùm parata sunt omnia.

Ac detegendis quidem illorum consilijs *parâsse* se dicit alibi *lucernam Uncto* suo. *Lucernam*, id est scilicet, fidele consilium; & qui ab eo sunt; (ij nempe Regum lucernæ sunt,) quorum est, occulta istorum molimina perscrutari: Sed ubi *lucerna* Regis deficit, ibi *fulgur* DEI incipit. Sic enim Versu 5. ubi in *lucernâ* lucis satis non est, à se (misso à se de cœlo fulgure) rem totam patefactam iri. *Lucernam* Regis dico, cùm MARDOCHÆUS rem defert contra Eunuchos proditores: Cùm ELISA rem indicat de insidijs Regi Israëlis structis per Arameum. *Fulgur* verò DEI cùm, ut ait SALOMON, *aves cœli portant vocem illorum*, (id est) cùm miris modis, nec humanâ ope ullâ, res innotescit: *cùm ipsi linguâ suâ impingunt in seipsos*, ut est Psal. 64. 8. id est, cùm susurris suis, suis scriptiunculis produnt sese. *Ut obstupescant omnes qui viderint, quia vident manum* DEI *esse*, & *quòd Tu*, DOMINE, *fecisti hoc.* Et est certè *mirabilis in Regibus terræ*, in nullo uno magis, quàm in mittendo hoc *fulgure suo*, quo occulta sæpe conjuratorum consilia revelantur.

Psal. 132. 18. Esth. 2. 22. 2. Reg. 6. 9. Eccles. 10. 19. Psal. 109. 29.

Verùm enim, esto: Da, nihil cuiquam subolere, altum vndique silentium esse, & celata omnia, dum parata omnia; & jam rem ad triarios redijsse: etiam tum, dissipabit ea tamen, &, ut est in versu 5°. *Tanget montes istos, & in fumum abibunt* omnes. Creverat jam montis instar, ABSALOM, rerum potitus. Tanget ABSALOM, percutiet illi cerebrum spiritu vertiginis, ut, quod unum è re suâ maximè futurum erat consilium, id rejiciat: Ita momento dissipavit omnia. Creverat itidem in montem ADONIAS. Tanget ADONIAM, percutiet illi cor terrore Panico, ut jam, cùm pœnè confecta res esset, progredi, movere se non auderet: ita abeunt in fumos omnia. *Fiunt omnes*, (etiam cùm manu jam rem tenent) *instar parietis inclinati aut maceriæ divulsæ*; vel sponte suâ corruunt, vel levi impulsu prosternuntur, tanguntur, abeunt in fumos, euanescunt.

2.Sam.17.14.
1.Reg.1.49.
Psal.62.3.

Atque ita, contra conjurationes ipsorum exerit se DEVS, ostendítque se *Regibus salutem* asserere: sed & idem ipsum ostendit, contrà Coniuratos ipsos: *Nervum scilicet suum collimando contra facies ipsorum*, ut est Psal.21. & quod hîc (vers.5.) *Sagittis suis configendo ipsos*: ut, quorum homines pessimos exitus intuentur, eorum pessima facta perhorrescant. Rectè rem totam complexus est MOSES, tum cùm omnium primus CORE contraveniret ei. In hoc (inquit) scietis, Magistratus à DEO esse, illorum salutem DEO curæ esse: *Si consuetâ hominum morte intereant hij, & visitaverit eos plaga, quâ & cæteri visitari solent*: revocate rem in dubium, an scilicet, Ipse sit: *Sin novam rem fecerit* DEVS, eósque ad unum, omnes, protraxerit ad pœnam, ad tristes exitus, omnes: Si subsequatur eos, à tergo vltio diuina, nec sinat eos, in pace; morte, vel maturâ, vel siccâ, deduci ad sepulchrum; in hoc scietis planè, quòd DOMINVS *ipse est*, qui *salutem dat Regibus*. Quia *manus* DOMINI *egressa est contra eos*. Et quidem ita se res habet: Nam qui vallum illud triplex (de quo, modò mihi mentio) disijcere ausi, quid illis factum est? *Sheba* quid factum, qui manum levare ausus, & tubâ clangere contra DAVIDEM? *Caput eius missum est per murum*. Quid verò SHEMEI, qui ausus aperire os, & maledicere

Psal.21.12.
Num.16.28, 29,30.
2.Sam.20 1,22.
1.Sam.16.7.

maledicere CHRISTO DOMINI? *Cani eius cum sanguine demissi sunt ad inferos.* Quid porrò Eunuchis illis, qui tantùm versabant animo, quò manus in Regem mitterent? *Appensi sunt in patibulo.* Et quid adhuc dicam? Deficeret me tempus enarrantem de BAANA, & RECHAB: de ABSALOM & ACHITOPHEL: de ADONIA & IOAB: de ZIMRI & IOSABAD: de reliquis, qui omnes Regum suorum perniciem moliti sunt, qui omnes inhonestâ morte perierunt, & abierunt ad locum suum: quorum omnium, hæc una quasi vox est; *Nostro exemplo, quam* DEUS *Regibus salutem dat, nemo illis mortalium auferre audeat.* Cornu salutis suæ DEUM, dixit DAVID: rectè dixit. De cornu enim, (de imâ ejus & cavâ parte) fuso oleo, unxit eum DEUS. Eodémque Cornu, (acuminato scilicet ejus fastigio) ventilavit hostes ejus DEUS, & protrivit universos. Ita, parte alterâ, *Regem fecit:* alterâ, *salutem dedit.* Verè Cornu salutis Uncto suo.

*1.Reg.2.9.* *Esth.2.21,23.* *2.Sam.4.17,18.* *1 Reg.2.16.* *2.Reg.12.* *Psal.18 1.* *1.Sam.16.13.*

Ne verò vos longiùs habeam in *Thesi,* vidistis (opinor) jam, & quare justum sit apud DEUM, Regibus salutem dare: 1. Est enim qui tollat, Malignus. 2. Reges, DEI loco sunt. 3. Honor ejus agitur in eorum *salute.* 4. In eorum *salute* salus vertitur multarum gentium. Vidistis etiam, & quo modo hanc rem agat; dicto, factoque: 1. Fulgure suo revelat: 2. Tactu, in fumos solvit consilia ipsorum: 3. Sagittis transfigit Consultores ipsos. Atque ita, *Regibus salutem* operatur in medio terræ.

DEcursâ jam *Thesi,* demitto me ad *Hypothesin.* *Ipse est qui eruit* DAVIDEM *servum suum, &c.* Inde autem principium sumo. *Servator omnium hominum* DEUS, *maximè autem fidelium:* D. PAULI est, 1.Tim.4.10. Addo ego, *Servator Regum omnium: maximè autem fidelium.* Utrobique enim ratio par. Sic colligo. Si super Reges excubet Divina providentia, Reges indefinitè, Reges in genere: Quid super Reges & fideles ipsos, & fidelium Rectores? Si in Regibus terræ mirabilis, quid in Regibus, Ecclesiæ & *filijs* & *nutritijs*? Si, in ASSVERO Ethnico, quid in DAVIDE

Religioso & pio Principe? Nam (quod scitè de eo dixit
Eccluſ.47.2. filius SIRACH:) *Sicut adeps separatus est à carne victimæ; ita* DAVID *de Regibus Terræ:* ut quod Reges sunt inter homines; id DAVID inter Reges. Quid ergo facturus Illi DEVS? quid ijs facturus qui similes Illi, *fideles, ut* DAVID, *in omni domo ejus?* Enimverò, quæ alijs in Regibus singula, ea in DAVIDE, hîc, conjuncta reperias. *Rex* (scilicet) & *Servus* DEI: Quare, & quia *Rex, salutem dabit,* & quia *Servus, eruet à gladio maligno.* Quòd *Rex,* commune habet cum reliquis Gentium Regibus, quibus cur ita prospiciat DEVS, causa nulla, nisi tantùm quia Reges. Quòd *Servus,* peculiare hoc Illi, præ reliquis.

Ac servos quidem suos servabit DEVS, cujusvis vel infimæ conditionis, omnes: Reges verò servos, super omnes, Et quia, ut *Reges, per ipsum regunt,* & quia, ut *Servi,* per
Prov.8.15. ipsum reguntur. DOMINE, *salvum fac Regem:* Petitio est, Psal. 20.9. *Salvum fac Servum tuum,* DEVS. Petitio, Psal. 86.2. petitio una, & non una: una, in DAVIDE; non una, in omnibus; Non enim omnes servi. Immò verò, omnes *Servi* ejus, omnes Reges terræ. Et quidem sic est, omnes sunt, Omnes enim, etsi ignari, etsi inviti, omnes tamen, faciunt voluntatem Ejus. Omnes sunt, sed (quod nostri propositi est) non omnes se agnoscunt, non omnes se gerunt ut *servos. Servus* Ejus NABVCHODONOZOR. Sic enim
Ier.27.6. per IEREMIAM DEVS: *Ecce, dedi* NABVCHODONOZOR *servo meo omnia Regna hæc:* At hoc ille tamen non agnovit: Non agnovit, vel se servum, vel illum DOMINVM. Sic enim ad tres pueros, *Videamus, quis vos* DEVS
Dan.3.15. *eripiet de manu meâ.* Neque verò PHARAO hoc agnovit.
Exod.5.2. *Quis est* DOMINVS? DOMINVM *non novi, & Israël non dimittam.* Non ita DAVID noster, non certè. Ille verò agnoscit se servum: Audite ipsum de seipso. Psal.116.16. *Ecce* DOMINE, *quia ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Nec verbo hoc, & linguâ tantùm, sed & opere, & veritate: Non (ut illi,) faciens, nec sciens, nec volens, sed *quærens, & faciens omnem voluntatem ejus.* Tam sollicitus de re DOMINI, ut *non ascenderet in lectum, non somnum*
Psal.132.2,3. *oculis*

*oculis caperet, priusquam locum invenisset, quò arcam* D o m i n i *reduceret*; In eâque reducendâ, sic inter *servos* D e i accinctus Ephod lineo, sic (inquam) se gessit, ut uxori suæ nimium *servus* videretur. Sed ille, nunquam satis humilis coram D o m i n o suo, nunquam satis sollicitus de voluntate Ejus. Verè *Servus* D a v i d: *humilis*, ut *servus*: *fidelis*, ut *servus*: *servus secundùm cor ejus*. Rectè ergo, & ad rem, in Versu dicitur, D a v i d e m *servum suum*. Proin, sic de illo D e v s *servo suo*. Psalm. 89. 21. *Manus mea auxilia bitur ei, & brachium meum confirmabit illum: nihil proficiet inimicus in eo: filius iniquitatis non apponet nocere ei.* id est, (uno verbo) *Eruam eum*.

2.Sam.6.20.

1.Sam.13.14.

Et quod verbo dixit, opere complevit. Proin, sæpè illum D e v s, & à multis (non dico, periculis; lata nimis vox illa ad præsens institutum) telis dico, (quod magis appositum) à telis eruit, acutis, districtis, contortis in perniciem ejus. Eruit à frameâ G o l i æ: Eruit à jaculo S a v l i s: & (quod huic loco proprium) *eruit & à gladio*.

1.Sam.17.18.

A *gladio* autem, non quovis cujusvis, communi & promiscuo; quin, (uti Versus habet) *à gladio maligno*. Ecquis verò *gladius malignus?* *malignus*, dico, malus fortè, fortè maleficus: at verò *malignum gladium*, nimis violentum est dicere. Certè, *gladij* quidem culpa nulla, nulla in ferro *malignitas*: tota in illo est, illiúsque animo malevolentiâ suffuso, cujus lateri appendet. Námque alio sensu, nullus est *gladius malignus*.

Et quis ille tandem *malignus* igitur? Profectò, non qui ex professo, & apertâ fronte maleficus, vel malevolus; non, qui hostis instar, hoc ipsum præ se ferens: qui latenter, & in occulto malevolus, is *malignus* est. Cui sub fronte blandâ, suppurata mens: sub fucato vultu, cadaverosum cor: cujus (ut illum pingit scitè S a l o m o n) *submissa vox, sed septem nequitiæ in corde ejus*, ille demùm *malignus*, illiúsque *gladius*, (utpote *maligni*) *malignus*, id est, Domini similis est.

Prov.26.25.

Quos modò tetigi *Locustas*, *maligni* sunt: *vultus* illis *muliebris*, at *Scorpionis cauda* à tergo: Quos modò nominavi,

vi, *filios alienos maligni* ſunt: quibus, os vanum: ſedenim mucro gladij non vanus (ut videmus) neque vanum, ſed verum adeóque *malignum* vulnus, inferens.

Etiámne verò? Nunquid DAVIDI tales, qui Illi clàm malè vellent? *Rex* adeo bonus, *Servus* DEI tam fidelis fierinè potuit, ut non effugerit *malignos* tamen? Fieri certè potuit, & factum eſt. Habuit & DAVID, quibus DAVID non ſatisfecit: Habuit & DAVID *malignos* ſuos, & illi, *gladios* ſuos; & ab illis, & ab illorum *gladijs*, plurimum illi

1.Sam.21.23. periculi. Nondum *Rex*, DOEGUM habuit, & viros *Kei-*
2.Sam.17.20. *la*: Iam *Rex*, habuit SHEMEIUM, & SHEBAM; habu-
Pſal.55.14. it *hominem* ſuum *unanimem*, *Ducem ſuum*, *& intimum ſuum*
2.Sam.18. ACHITOPHEL: habuit ABSALOM *filium ſuum*, *filium ſuum* ABSALOM: habuit alios, & quidem multos; multis enim in *Pſalmis* de hujus furfuris (non enim farinæ) hominibus, conquerentem audias. Etiam vel in hoc noſtro, bis de quibuſdam queritur, ortu quidem indigenis, affectu autem alienigenis, fucatis ſcilicet ſubditis, quorum *nec in ore*, *nec in dexterâ*, *fides* ulla: Tales habuit & DAVID, tales vel qui DAVIDI par (ſi modò eſt quiſquam par) tales tamen habiturus eſt. Et ab hijs, ſcilicet, ſemel ad Verſum octavum: nec ſemel ibi tantùm; ſed & iterum ad undecimum, id eſt, iterum iterúmque petit *erui*. Nôrat enim, hic *gladius* quàm noxius, ut *gladius* hoſticus, præ eo quidem benignus ſit. Non enim *gladius* belli, *gladius* hic; non GOLIÆ, aut *Philiſtæorum*, qui apertè invadunt, quos (proinde) videns declinare poterat: *Gladius* hic, *gladius* proditorius; *Gladius* IOAB, *gladius* hic; qui amicè gratulatus ABNERO, arctè complexus AMASAM, utrúmque percuſſit in inguine, ídque ſic, tam ſcilicet *malignè*, *ut ſecundum vulnus non apponeret*: fluxerunt enim, unico illo, utriſque illis viſcera in terram. *Gladius* IOAB, *gladius malignus*; in *illo* noxa.

Iam, (quò ſciant omnes, quàm bonus in DAVIDEM DEUS) *Eruit* eum DEUS à *gladio* hoc; Eum dico: ſunt enim quos, ſunt inter *Reges*, quos *non Eruit*; ſunt inter *Reges*, quos obruit, quos *malignus* hic *gladius* obruit; quibus

bus scilicet clypeum suum salutis, non prætendit DEVS. ISHBOSHETHVM obruit *à meridie, super strato suo dormientem*. ELAM obruit, in ædibus Atriensis sui perpotantem; IOASHVM obruit in tumultu populari trepidantem. GEDALIAM obruit, cum maligno percussore suo ISMAELE, intrepidè convivantem. Hos omnes obruit hic *gladius*. Nempè, illos DEVS non *eruit*. At DAVIDEM *eruit, eruit* illum DEVS (quisquis fuit ille *malignus*) à *gladio* ejus. Quodque illum eruerit, DEO Versum hunc, tanquam canticum suum ἐπινίκιον modulatus est. Atque hæc de Hypothesi, de DAVIDE scilicet.

2.Sam.4.5.
1.Reg.6.9.
2.Chro.24.25.
Iere.41.2.

## *Venio iam ad nos.*

3 ENimverò, ut DAVIDEM olim, *servum suum*: sic IACOBVM nuper, *servum suum* DEVS *eruit*; utrúmque *eruit*, utrúmq; *de gladio*, utrúmque *de gladio maligno*: verè, ut de utroque enunciari Versus iste, verè ut cantari possit: & hoc die, hoc anno; & hocdie, in annos singulos.

Sextus enim jam annus agitur, cùm die hoc, (hoc ipso die) filij *maligni* insidiati sunt ei: filij *alieni mentiti sunt ei*. Allexerant eum, domum, ad se; exceperant hospitio blandè admodum, polliciti insuper (nescio quid arcani,) vanè & mendaciter omnia; atque ita tandem, nullius mali sibi conscium, ac proin nihil mali suspicantem, perduxerant quò volebant, ad locum scilicet in ipsis ædium penetralibus, ubi *malignus* ille *gladius*. Ibi illum, contra jus hospitij, hospitem, contra jus longè majus, subditi *Regem* adorti sunt: remotis conscijs, occlusis ostijs, solum, inermem, præsidio omni subsidióque nudatum adorti sunt. Aderant enim tum *filij alieni* qui *gladium* educerent, aberant filij genuini, qui clypeum, & (si ita opus) corpus opponerent: Aberant omnes. Quid hîc, nisi certa mors? Horret certè meminisse animus, quàm propè adactus *gladius* ille, ut frigidum senserit mucronis ferrum, admotum tum, atque adeò impactum sacro illi pectori. Quid (inquam) nisi certa mors, *gladio* tam propè adacto? Ibi illum DEVS, DEVS *qui salutem dat Regibus*,

Psal.18.46.

*gibus, Regibus servis suis*: Ibi Illum DEUS, *Regem servum suum*, in medio discrimine, in ipsis mortis faucibus; è medio discrimine, ex ipsis mortis faucibus asseruit, eruitque; DEUS *ipse* (inquam) *illum eruit.*

Incusso primùm terrore, armato illi, qui ad hoc tantum scelus accinctus, instructus, destinatus fuerat, ut tentare quicquam, nec ausus, nec posset. Dein, ipsi illi armato, repentè mente ita mutatâ, ut hic qui destinatus, illius qui destinârat, (cum ille hoc scelus facere vellet) manu suâ ne faceret, manum detineret. Dein Regi præsentem animum, & vires, robúrque sufficiendo, ad feralem illam palæstram;
Psal. 89. 22. ut *non prævaleret ei*, ut *non proficeret in eo quicquam inimicus.* Demum, miris modis, per ignotas vias, imperitos loci, ignaros viæ, rectâ tamen ducendo, & dirigendo viros illos, qui clamore Regis acciti, accelerabant undique, in ejus auxilium, (viros, ob hoc tam fœlix & fidele ministerium, sempiternâ memoriâ dignos:) denique asserendo eum, tum, à primo hoc; tum ab illo altero, alterius fratris *gladio*, magis adhuc *malignè maligno*; & sic asserendo, ut *gladius eorum*
Psal. 37. 15. Psalm. 7. 17. *intraret in cor ipsorum*, & malignitas ipsorum, ipsis in verticem converteretur: *Rege* salvo, *salute Regi datâ*, cœlitus *datâ*, (si est vnquam salus cœlitus vlli data) ac si, de cœlo mi-
Vers. 7. sisset manum DEUS, & opem ei tulisset: unà, *eruens* Illum; unà, obruens malignos illos gladiatores, & suo, sibi jugulans, gladio maligno. Profectò, non humanæ opis hoc; non ab homine. *A* DOMINO *factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*; in oculis omnium: & est memorabile, in auribus nostris; in auribus omnium; déque eo, nulla posteritas, nulla sæculorum series conticescet.

2. Sam. 7. 19. Sed & hoc, parum visum est DEO; nisi exin sæpe, & verò nuperrimè: (nec enim dum, annus est) è pari illum, imò, è majore, è longè majore, non quidem *gladij*, sed *pulveris maligni* discrimine, liberaret: Facinore, tam tetro, tam fœdo, tam diro, & diris omnibus devovendo; ut, superet pœnè fidem nostram, qui tamen ipsi vidimus: Posteritas quidem certè, (credo,) vix fidem adhibebit, fuisse, unquam, in specie humanâ; tales, ex infima usque abysso

*locustas*,

*locustas*, qui tam infanda cogitarent. Pro magnitudine periculi, erit & gratiarum modus. Ac potuit quidem, nuperum illud, memoriam excutere nobis hujus hodierni. Absit verò. Sic enim, (ut initio dixi) nova celebrentur, ut vetera quoque renoventur. Erit & illi Canticum suum in tempore suo. Iam nominâsse sat erit.

Non pecco jam diutiùs in patientiam vestram: Absolvo paucis, quod superest.

ERgo, ut illi, tum, pro Rege suo Canticum hoc; itidem, & nos, iam, pro nostro: nec est enim tam salus saluti, similis; quàm illorum, & nostra. Neque verò etiam, usquam est, vnde nobis exemplum sumere liceat, quid nobis jam facto opus; quàm, si modum, methodúmque imitemur Psalmi hujus, (neque verò longè abeo) hujus in Psalmo loci, qui jam nobis præ manibus est. Duo facit DAVID, (quod eleganter inprimis dicunt Hebræi:) miscet *Tehilla*, & *Tephilla*: (id est) *vota* cum *gratijs*; *preces* cum *cantico*. תהלה תפלה Simul, ut Hymnum cecinit, uno mox eodémque spiritu, vota facit. Præcedente enim Versu, parturivit canticum, chordas suas concinnavit, plectrum adhibuit, cecinit sic, ut audivistis: *Ipse est qui dat salutem Regibus: Ipse est qui eruit* DAVIDEM *servum suum de gladio maligno*. Ecce verò statim, (Versu scilicet subsequente,) deponit de manu barbiton, demittit se ad genua, ad preces se confert: & dictat inibi Orationem, sibi & nobis, in hæc verba: *Serva me, & libera me, de manu filiorum alienorum, quorum os loquitur vanitatem, & dextera eorum dextera falsitatis.* Optimè isthuc in se, atque in populum suum consuluit, dum hæc ita miscet: Et nos factum imitemur. Ac, primùm, ut ratio postulat officij nostri; celebremus hunc *Servatorem Regum*, Assertorem *Servi sui, Regis nostri*: celebremus eum, Cantico novo, cantu, chordis, tibijs, tonis; quos, vel habet, vel capere potest spiritus, vox, mens, manus nostra, optimis atque aptissimis. Quicquid enim habemus optimum, aptum beneficio huic; DEO aptum, propter hoc. Imò, omnia nostra, vel optima, infra beneficium hoc, infra meritum Illi, propter hoc. Sed

tentemus tamen, ut possumus, modulari aliquid. In eóque *omnia quæ intra nos sunt*, *omnia ossa nostra*, confiteantur Tibi, DOMINE, *Tuam esse Salutem*, *Te illam* dare, *Te illam Regibus* dare, *Te illã Regi* nostro dedisse: & in illo, nobis omnibus, Tribus jam in uno Regnis; uni in Tribus. *Et jam, quid possumus addere ut loquamur ad te? Tu enim scis servos tuos*, DOMINE; utcunque animi sensa minùs dignè exprimentes; tamen, intus in animo intimísq; sensibus, æternùm Tibi devinctos, de *salute Regis* hâc.

Psa. 103. 1. & 35. 10.
2. Sam. 7. 20.

Verùm enim, quia eruisse Illum semel, satis, non est, non bis, terve, non septies, (quàm longa enim Illi vita, tàm longum discrimen hoc, à *malignis*,) quia, non omnes *filij alieni* in terrâ alienâ; aliqui hîc in nostrâ, & apud nos: quia, filij BELIAL nondum omnes mortui; saltem, Pater eorum BELIAL mortuus non est: quin vivit etiam, etiam machinatur malignas suas machinationes, non minùs jam, quàm DAVIDIS sæculo; non minùs quàm ullo à DAVIDE sæculo, usque diem hunc: non minùs? imò verò, & magis, *quia modicum tempus habet*: Nos quoque ad exemplum Psalmi nostri, ne nimium diu immoremur in Cantico; quin suspensis paulisper, quin depositis ad tempus barbitis; etiam & nos supplices simus, & admisceamus preces nostras; etiam & nos, exemplo illius, vota publica nuncupemus. Non alia, quàm hîc, quàm alijs in Psalmis ille ipse nuncupat. Hîc: *Serva illum: etiam erue illum à filijs alienis; ab ore, dexterâ, gladio, illorum maligno.* Ex alijs verò: *etiam* DOMINE, *salvum fac adhuc, etiam* DOMINE, *prosperare adhuc. Manda*, DEUS, *virtuti tuæ; confirma opus hoc bonum, quod operatus es in nobis. Mirifica misericordias tuas: magnifica salutes erga Regem tuum: Præcipe omnimodam salutem* IACOBO. Ipse es, qui salutem dedisti: Ipse es, qui eruisti: *Idem ipse semper esto qui es*: semper erue, semper serva Illum, semper serva nobis hæc bona.

Apoc. 12. 12.
Psal. 118. 25.
Psal. 68. 28.
Psalm. 17. 7.
Psal. 18. 51.
Psal. 44. 5.
Psal. 102. 27.

De illis verò qui supersunt, (supersunt enim malè metuo) *filijs alienis*, quid aliud precemur, quàm quod CUSHI, 2. Sam. 18. 32. apud DAVIDEM quoque & eum erutum tum quoque à gladio *filij*, & sui, & *alieni* ABSALOM: *Inimici*

*mici* DOMINI *mei Regis, & omnes qui consurgunt adversus eum, in malum, fiant sicut fratres illi, fratres in malo, fratres maligni. Sic pereant inimici tui, (inimici Uncti tui)* DOMINE: *Jud.5.31.* *Qui verò Te, qui illum diligunt; fiant sicut Sol cum oritur in virtute suâ.* Quo sic nos, sic semen nostrum, qui sub auspicijs Regni Illius octo illas, (in Psalmo hoc) terrenas beatitudines, octo fœlicitates sæculi, consequuti sumus; etiam nonam quoque illam, (instar reliquarum omnium) castæ Religionis; diu ijsdem, & multos annos sub Illo salvo, sospite, superstite perfruamur: (id quod, quadriennio jam fecimus.) Quotannis, vota nostra solventes, die hoc, de die hoc, de *salute* hoc die *datâ:* Intercalantes semper Versum hunc; initio, medio, fine: *Ipse est, qui salutem dat Regibus: Ipse est, qui eruit* IACOBUM *servum suum, de gladio maligno.*

Ipsi, honor, laus, gloria, gratiarum actio,
in sæcula sæculorum.
AMEN.

*FINIS.*

# CONCIO LATINE HABITA,

## CORAM REGIA MAIESTATE,

*XIII°.* Aprilis, *A.D. MDCXIII.*
in Aulâ Grenvici:

*Quo tempore, cum Lectißimâ Suâ Conjuge, discessurus* jam erat Gener Regis, Serenissimus Potentissimúsque Princeps *FRIDERICVS*
COMES PALATINVS
ad RHENVM.




*LONDINI,*
Excudebat *Felix Kyngston* pro *R. B.*
& *Andrea Hebb.* 1629.



ISAIÆ CAP. LXII. VER. V.

*Et gaudebit Sponſus ſuper Sponſam, & gaudebit ſuper te* DEVS *tuus.*



Ic lego. Quòd ſi aliter quis legat, (aliter enim verti ſcio, *Sicut gaudebit Sponſus, ſic gaudebit* DEVS) fruſtrà ſe eſſe ſciat. *Sicut* enim illud & *Sic,* in origine nuſquam comparent: planè ibi non habentur: Additio ſunt hæc Interpretum. Verba ſic habent, ut retuli; nec plura ſunt in fonte nec pauciora: Sícque ea vertit vetus Interpres, fidus in eo ſatis atque religioſus.

Scripturæ vox *gaudium* ſonat: Nec vox alia diu jam audita eſt in terrâ noſtrâ. Menſis enim jam tertius agitur, cum lætitiæ indulgemus omnes, atque id CHRISTO indulgente, quanto ſcilicet tempore *nobiſcum Sponſus eſt.* Atqui Mat. 9.15.
jam reditum maturat ad ſuos: Supereſt, ut quem venientem excepimus cum gaudio, manentem complexi ſumus, redeuntem etiam, cum gaudij, & ſi qua ſunt fauſti ominis votis dimittamus.

Etſi autem jam ante (cum lætitiæ litavimus) lætitiam hanc noſtram *Sponſus ipſe*, tum de ſponſi amicis qui adſunt, etiam qui idioma noſtrum non callent, ex vultu tamen atque oculis cujuſque noſtrûm, ex toties jam ſtructis epulis, ex ludis & larvis, & ſiqua ſunt ejus generis luculenta gaudij teſtimonia, intelligunt opinor ſic ſatis: unum abeſſe modò viſum eſt (quod in abitum uſque aſſervari Rex magnus voluit) ut

publicè teſtatam & pro concione lætitiam hanc audiant: audiant autem (quod nondum factum) ſermone, quem pariter nobiſcum capiunt. Ea mihi jam cura incumbit, cui nihil magis in votis, quam ut *gaudij* hujus quoquo modo adjutor ſim.

Sonet ergo per me noviſſimum gaudij, noviſſima vox iſta in auribus ipſorum. Intelligant (ex linguâ autem id, quam intelligunt) nec dum deferviſſe lætitiam noſtram, nec trimeſtre dimetiendam. Sciant etiam oram jam ſolventes quam Connubio huic, ultimo quaſi ſpiritu læta omnia cupiamus. Sciant autem ex hoc Verſu bene ominatis *Prophetæ* verbis: Cujus nos hodiè in vota ſuccedimus, atque in eadem verba vovemus, *Et gaudebit*, &c. vel, *Et gaudeat*, &c.

*Gaudebit* enim hîc legendum, an *gaudeat*, haud facile dictu. Ideo autem haud facile, quod Hebræis, cum deſit *Optandi modus*, fit, ut quicquid optant, id ferè per futurum tempus efferant. Sæpe, ut minùs liqueat, ídne velit dicere *Propheta*, *Utinam hoc ita ſit*; quod eſt votum optantis: An verò, *Hoc pro certo ſic erit*; quod eſt vaticinium divinantis.

Verumenim litem hanc in proclivi nobis componere. Vota enim nemo facit, niſi auſpicatò: vellet vates eſſe quiſquis vovet. Parum ergo hîc intereſt: Ita legi poteſt, *Et gaudeat Sponſus*, & erit votum. Poteſt & ita: *Et Gaudebit Sponſus*; Et quod fuit votum, fiet vaticinium. Ac eſto quidem jam nobis *votum* hoc bene ominantium; *Gaudeat*: vertat in *vaticinium* DEUS verè prophetantium; *Gaudebit*. De quo bona ſpes eſt. Nam qui præit nobis votum hoc (Eſaias) *Propheta* eſt. Ex ore *Prophetæ* cum ſit, utrumque erit, ſimul *votum*, ſimul *vaticinium*. Ita verò ſit, DEUM veneramur omnes: Et quem vocamus in vota DEUM, Idem vota bonos ducat in exitus.

Genium vidiſtis Scripturæ hujus: jam & partes cognoſcite. *Gaudebit*, votum unum, vox una; Sedenim bis repetita (*Gaudebit Sponſus*, *Gaudebit* DEUS) geminum nobis dat gaudium, duos quaſi uno de fonte rivulos. Seu (quod malo) non rivulos duos: Prior enim rivulus modò; poſterior

rior, fons. *Gaudebit Sponsus*; Esto hic rivulus: *Gaudebit* DEVS, fons esto. Arescet citò prior ille, nisi de hoc quasi fonte derivetur. Ita convenit: Hilaritatis nostræ omnis rivulus, de fonte ducendus pietatis.

Iam in priore illo *Sponsus* subjectum est; *Sponsa*, obiectum gaudij. Sponsi enim gaudium omne in Sponsam fertur, *Gaudebit Sponsus super Sponsam.* DEI autem posterior, *in Te: Gaudebit super te.* Te? quam? Circumferte verò ad precedentia oculos; etiam ad sequentia. Nulla ibi usquam, nisi de *Sione* mentio. Te, *Sion* igitur, Te, popule, Te *Sponsa* DEI. Dicam enim quod res est: utrobique hîc *Sponsus* est & *Sponsa*: Duo sponsalia; Mysterium idem, quod apud *Apostolum: Dico autem in* DEO hîc & *Sione*, ut ille in CHRISTO ibi & *Ecclesiâ*.

Videndum jam ne incurrant sponsalia nostra in posteriora hæc. Imo id volui dicere, ut concurrant. Ubi enim non concurrunt; ubi *Sionem* non respiciunt sponsalia; quantumlibet hic in terris effusum, nullum planè de illis in cœlo gaudium. Ubi verò redundat ex illis lætitia in *Sionem*, cujus de gaudio gaudium in cœlo semper, eæ demum faustæ sunt atque auspicatæ nuptiæ. De quibus non modò amici Sponsi de terrâ hinc, sed & *Palatinatus* ille superior, & quæ de sursum est Anglia quasi Angelorum, de quibus DEVS Ipse atque cœlum cœlique tota Curia lætitijs omnibus læti sunt.

Ejusmodi & esse & fore speramus hæc nostra, præstante id DEO *Opt. Max°.* qui velit jubeat, geminum hoc gaudium rivuli & fontis in illa derivari: Et *Sponsi* gaudium suo & *Sionis* gaudio coronari: ut & *Sponsus* de *Sponsa*, & *Sion* atque DEVS de utroque: inter se illi, nos cum illis, omnes denique in DEO atque cum DEO gaudeamus.

Partes vidistis periochæ hujus. Eas ego sic exequar: [1] Dicam de *voto* ipso, votique naturâ primò, *Gaudebit.* [2] Tum de voto, quoad *Sponsum*, seu ad ipsum relato. Quoad *Sponsum*, primò in se, suique per se solum ratione habitâ, *Gaudebit Sponsus.* Quoad Sponsum iterum ratione Sponsæ, *Gaudebit & Sponsus super Sponsam.* Atque hæc de rivulo.

Post & fontem ipsum petemus DEVM. Acturi de

D E O, Ejusque & ad nuptias & ad *gaudium* interventu necessario. Tum de *Sponsalibus* cum *Sione*, deque Illius inde gaudio. Postremò de utroque hoc gaudio (*Sponsi* atq; D E I) fœliciter consociando, & quasi desponsando inter se. Sic fient nobis *Sponsalia* terna: [1] *Sponsi* cum *Sponsâ*; [2] D E I cum *Sione*; [3] *Sponsi* atque *Sponsæ*, cum D E O & *Sione*: quod ex tribus hijs resultat gaudium, in unum quasi gaudium, aggregando.

*QVæ ego dum singula complector, ut quem ad finem à* D E O *destinatus est Ejus sermo, eum in nobis finem sortiatur hoc tempore, totáq; hæc actio nostra cum fructu sit, invitemus huc precibus nostris* SPIRITVM SANCTVM, *invocato in illum finem per* FILIVM PATRE. *Ac ne in precibus nostris immemores simus ipsius, quæ ipsa nostri nunquam immemor est in suis, intercedamus apud Clementissimum Patrem pro* Ecclesiâ *Ejus* Catholicâ *hic in terris militante*; Catholicâ, *non* Romanâ, *sed* OEcumenicâ, *nempe quam longè latéque patet terrarum Orbis, longè latéque disseminatâ. Conservet ei* D E V S, *recuperatam diu jam ex densissimis errorum tenebris veritatem suam: Restituat ei* D E V S, *cum id Ei visum fuerit, amissam jam pene per Christiani Orbis dissidia* Unitatem *suam.*

*Ac, quæ pars in eâ votis nostris indiget vel maximè, eam præter supráque cæteras,* D E O, *nec sine gemitu commendemus. Fratres nostros dico, quocunque crucis genere, quacunque de causâ pressos & afflictos. Precemur eis tentationum suarum fœlicem exitum; ac interim dum exitus in incerto est, patientiam quanta sat erit, ad cruces suas leniter ut decet, constantérque perferendas.*

*Pro* Ecclesiæ *parte pace florente: Nominatim pro* Ecclesijs, *quæque in* Britanniâ magnâ *&* Hiberniâ, *quæque in* Palatinatu *utroque sunt. Ac quo nos vocat inprimis officij nostri ratio pro serenissimo Potentissimoque Principe,* IACOBO DEI *gratia,* M. Britaniæ, Franciæ *&* Hiberniæ *Rege, Fidei defensore, pérque ditiones suas Statuum omnium atque Ordinum quique Ecclesiastici sunt, quique Politici, Gubernatore summo. Vitam ei longam, multos annos precemur, utque diu superstes Regnum* CHRISTI *magis indies magísque propagandum curet, propagatum videat atque gaudeat.*

*Pro*

*Pro præstantissimâ Reginâ* ANNA: *Pro spe surgentis Nobilissimi Principis* CAROLI: *Pro* Sponso, Sponsáque; Sponso, *illustrissimo Principe* S.R. Imperij Electore, FRIDERICO Palatino ad Rhenum; *Sponsâ, lectissimâ* Dominâ ELIZABETHA *unicâ Regis, unicâ nostrâ.*

*Pro Regni* Proceribus, *summis viris, ijs præsertim qui Regiæ Majestati à sanctiore consilio sunt.*

*Pro nostro hoc Ordine, proque Clero & Populo universo.*

*Hoc antè primis ultimísq; precibus à* DEO *summopere contendamus, ut bonus fœlíxque adsit recenti Conjugio. Ante omnia, ut* Sion *inde* gaudeat, *cujus semper se gaudio miscet* DEUS: *quo sic benedicat eis ex* Sion DEUS, *ut (quæ clausula est Hymni nuptialis)* Videant filios filiorum suorum, & quam omnes suspiramus, pacem super Israël.

*Pro hisce omnibus, supplices offeramus* CHRISTO Intercessori *nostro suam Ipsius Orationem*, Patri *suo nostris nominibus offerendam, quò Ille nobis hæc, tum alia præter hæc, quæcunque cuique nostrûm expedire noverit, quàm clementissimè benignissiméque largiatur.* Pater noster, &c.

---

I



*ET gaudebit.* Caput voti, *gaudium.* Et quidem cum fausta omnia cuiquam optare cupimus, quid aliud optemus quàm *gaudere*? Majus enim meliúsve nihil est quod possit optari. Dixit AMBROSIUS: *Omne malum abdixit, omne bonum uno verbo dixit,* qui gaudium *dixit.* Scitè id autem & verè. Primum enim procul esse oportet omne *malum*, ut adsit *gaudium.* Nam si *morbus* molestus est corporis, si *ægritudo* animi, si vel *metus*, vel *ira*, vel *res adversæ*, exclusiva *gaudij* sunt omnia hæc. Unum horum quodvis si adsit, non licet usurpare vocem hanc, *Et gaudebit.* (De voto votíq; naturâ.)

Etsi autem nimium boni est, cui nihil est *mali*; tamen, nec si nihil est mali, satis id, ut *gaudeat* quis. Satis id quidem ad *indolentiam*: ad *gaudium*, non satis. Etiam *bona* adesse opus est. Nec ista minorum gentium, quæ satis (fortè) ad *gaudiolum*; at non ad *gaudium*, nisi tanta sint, ut existat inde ani-

mi elatio quædam placida atque conſtans, quam *gaudium* dicimus. En igitur malorum omnium exors ſit oportet & impos, bonorum autem compos, cui *gaudium* vovemus: Semiplenum enim non vovemus. Abſque his autem *gaudium* plenum non eſt.

Sed enim ſi plenum ſit, votum plenum eſt, atque adeo voti plenitudo: votum ſummum, atque adeo votorum ſumma. Id autem vel hoc argumento, quòd ſummæ Perſonę, quòd *Regi*, nihil habet Populus DEI in Pſalmo quod magis exoptet. *Regi* quod vovet populus, menſura eſt voti: *Super*
[a] 1. *Sam.* 9. 20. *quem* enim [a] *ſunt deſideria totius* ISRAEL, *niſi ſuper Te* (dicit SAVLI SAMVEL, *Regi* jam deſignato.) Nemo omnium cui meliùs, cui meliora cupere, optare, ominari debemús,
[b] 2. *Sam.* 21. 17. quàm [b] *Lucernæ* ISRAEL, [c] *Spiritui oris noſtri*, CHRISTO
[c] *Thren.* 4. 20. DOMINI.

*Pſal.* 21. 1. Meditatò autem conceptum ei *votum* hoc, *quaſi* vel Rege dignum in *Pſalmo* Regio XXI. DOMINE *in virtute tuâ lætabitur Rex. Lætabitur*; idem eſt dicere *Et gaudebit.* Tantum eſt in *gaudio* momenti, tantum in voto hoc a Prophetâ nuncupato. Atque idem quod Regi, cum bonâ ipſius veniâ (ſcio) & *Generi Regio, Generóque* jam in *Regium Genus* inſitò auſpicatò vovemus. Nec dignius quicquam occurrit quod vovere poſſimus. Averruncet DEVS mala, mala omnia ab eis: Accumulet DEVS bona, bona omnia plenâ manu, χειρὶ καὶ θυλάκῳ, quo & *votum* noſtrum & *gaudium* iſtorum plenum ſit. Atque hæc de voto votique naturâ.

2
*De voto quoad* Sponſum.
1. Ratione Sui. Sponſo autem per opportunum hoc, ac (propè dixerim) peculiare votum. Eſt apud Prophetam ſæpè; ſæpè legas
* *Ier.* 7. 34. 16. 9. 33. 11. voces has, * *vox gaudij & lætitiæ.* Et quæ tandem vel quibus propria vox illa? ſubjungit eis ſtatim abſque vel voculâ unâ interpoſitâ (ſemper autem id) *vox ſponſi & ſponſæ.* Quibus illa *gaudij* & *lætitiæ* genuina vox, & proprius quaſi character eſt. Genuina vox dixi, & ſua. Suam ſibi vocem ſi ingeramus, ecquid magis appoſitè? Nec alio nomine quàm quia *conjugium* eſt.

1 Enimverò vel conjugio quidem ἁπλῶς appoſita vox iſta. Ad quodvis cujuſvis *conjugium* benè precari, *lætari* æquum eſt

est omnes. Mater est enim conjugium omnium nostrûm; Petra, unde excisi; Caverna, vnde effossi atque educti in lucem hanc. Quòd sumus, vivimus, lætari possumus, debemus ei. Quare redundare debet in omnes ex hoc fonte *lætitia.*

Iam si conjugio καθόλου, quantò hoc magis *Rege* nuptias faciente? *Regi* enim nuptias facienti non dubitavit DOMINVS dicere, *Regnum cælorum simile*: Tanta ibi *lætitia*; Quam vel ad *vias ipsas* & *sæpes*, id est, ad omnes commeare vult. Etiam ad eos, qui alioqui minimè omnium ad *gaudium* compositi factíque videri possent. Nec illos tamen excipi. Severus homo *Baptista*, & deserti incola, tamen ad vocem *sponsi*, solutus est in *gaudium*. Audite ipsum in Camelinis suis pellibus exultantem, *En* (inquit) *gaudium meum impletum jam est.* 2 *Mat.22.2,9.* *Io.3.29.*

At & *nuptias* interdum *Rex* facit (ut SAVL) nec factis *gaudet*. At noster *gaudet*. Omnes non pertentari modò hinc, sed & perfundi gaudio *Serenissimum Regem* vidimus. Cum illo gaudente quis non *gaudeat*? Qui jure merito id potest de nobis, quod de suis olim *Corinthijs* Apostolus, *Confido in vobis omnibus quòd gaudium meum gaudium est omnium vestrûm.* Ita par est, atque ita est. Sive ergo conjugium ipsum spectes; sive factum à *Rege*; sive *Regem facientem*; geniale votum, germana vox ad *sponsos.* 3 *2.Cor.2.3.*

Atque ita quidem postulat locus ipse *Conjugij*: nempe in loco *gaudij*, in *Paradiso*, instituti. In loco *gaudij*; addo & tempore: Lætante tum DEO atque *gaudente super omnia opera manuum suarum*: Lætante tum *homine*, cum adhuc *in honore* esset, ac *bonum* solùm, nec dum *malum* vel *sciret* vel sentiret. 1 *Gen.2.24.*

Ita *Gentium ritus* atque mos: qui, dictante hoc illis Naturæ luce procul abjici jusserunt *cystin felleam* à sacrificio nuptiali, procul & *molam salsam*; Nihil vel *acidi* vel *amari* Nuptijs intervenire. 2

*Ita S. Literæ.* Scitum illud inprimis ac memorabile SALOMONIS *Canticum* in eum finem scriptum, ut esset *Epithalamium* SIONIS. Ibi nihil legas nisi lætum, *Vinum cum Lacte, Favum cum Melle, Vnguentum cum Aromate, Mustum* 3 *Cant.5.1.*

*Malo-*

*Malogranatorum*, & quæ præterea ibi multa. Singuli enim *Versus* singulæ *lætitiæ* sunt.

4 Postremò (quod initio monui) *Major* SALOMONE *suspendit*, quantò tempore *nuptiæ* sunt, *jejunium*; & foras esse vult *tristitiam* omnem à *filijs thalami:* Suâque voce sanxit, *Nuptiarum tempus, tempus esse gaudij*; *Sponsus enim tum apud nos.* Aptissimam ad *Sponsum* vocem esse *Et gaudebit.*

Luc. 11. 31. Mat. 9. 15.

Et habet ille quidem de quibus *gaudeat* secum & apud se, non pauca, ne quærat foris; reflectat ad se modò, nec aliò respiciat. 1 Nec illud dico Ecclesiastis, *Lætare Iuvenis:* quòd nempe in *flore* ipso *ætatis*, valenti adhuc vegetóque corpore, sine quo tamen vix *gaudere* datur. Illud potius, quod naturæ, morum, indolis, ingeniique dotibus vel ætatem supra, ut par est *Heroum* filios, instructus abundè & ornatus. 2 *Gaudebit* quod Genus Illi ex *Cæsarum* ipsorum alto sanguine, CAROLI *Magni* inprimis, ad quem stirpem revocat, cujusque ex Progenie stemma ducit: Aliorúmque post, tum, qui in familiâ *Sueviæ*, tum qui in *Bavariæ*, tum qui in suâ Ipsius Illustres extiterunt. 3 *Gaudebit* quòd Princeps Imperij: Inter Principes autem, *Septemvir Elector*; Inter *Electores Septemviros*, loco primario sit. 4 Nec id modò, sed vacante Imperio *Vicarius Imperij*. Sed & pleno etiam, vbi se res feret, & si qua in CÆSAREM mota lis, ad eam litem *Iudex* sedeat, quasi CÆSARIS ipsius *Arbiter honorarius*. 5 *Gaudebit* quod ad ambas *Rheni* ripas ditionem habeat amplam, atque uberem; viris, armis, opibus præpotentem. 6 Quódque in feudo suo, *jure* (ut loquuntur) *feudali*, obstrictos sibi habeat, quà in Veteri *Palatinatu*, quà per vicinas undique Provincias *Duces* inclytos *Comitesque* permultos. 7 Quódque apud me in summis est & *laudum* & *gaudiorum* (nempe quod viam muniat ad DEI *gaudium* secundo mihi loco dicendum) quod *Patre, Avo, Atavóque* satus, qui sinceram religionem amplexi, quasi SIONEM suam ab ijs abusuum & errorum corruptelis, quibus oppleta diu jacuerat & inquinata, DEI auspiciis seriò sedulóque repurgârunt. Quo factum, ut super illis *gavisus* sit DEVS; ut & jam *gaudeat super semen ipsorum.* Gaudet verò *Sponsus* super hisce omnibus, longúmque *gaudeat*. Ita vovemus singuli, ita universi.

Eccles. 11. 9.

At

At hijs, etsi *sponsus* jam: tamen etiam cum nondum *spon-* 2. *Ratione*
*sus gavisus* est. Extra *sponsam* sunt ei omnia hæc. At sic ha- Sponsæ.
bet Versus noster, *Gaudebit sponsus super sponsam.* Atque id demum nostri instituti est: Non solùm ut *gaudeat sponsus*, sed quà *sponsus*. Quà verò *sponsus*, *sponsam* respicit. Respiciat Illam, & novum illi *gaudium* (non dubito) pectus pertentabit. Nec unum: Multa enim (quâ data porta) quasi agmine facto in conspectum se dabunt.

*Gaudebit* primò, quod voti compos, & desiderij sui. *De-* 1
*siderium* enim *veniens*, *lignum vitæ*: *Lignum* autem *vitæ, in* *Prov.* 13.12. *Gen.* 2.9.
*medio ipso*, & quasi Centrum *Paradisi*. Voti inquam compos, quod alij multi, magni, cum haberent in votis, atque adeo exambirent, non tulerunt tamen. Non tulit *Antigenes*: Nec opus plura. Tu verò habes quod toto mente petisti. Atque ex completo hoc desiderio *gaudium* primum.

Ex desiderio completo boni cujusvis. At nec desiderium 2
ullum ita (ut dicam) *desiderabile*, ut est *Sponsæ*: in quâ commodè & fœliciter ascitâ, magnum momentum ad totius vitæ curriculum benè beatéque transigendum. *Sponsa* igitur
quæ eadem *desiderij* materia est, eadem & *gaudij*. Paries ante *Psal.* 128.3.
marmoreus, sed nudus: Huic accessio facta *lætificæ vitis*, ut est in *Psalmo nuptiali*. Et est hoc quidem mutuum vtrinque gaudium. Vt enim *paries, viti fulcrum* affert, & *stabilimento* est; ita *vitis, parieti* (hæc quidem) *pulchrum* suum præstat, & grandi ornamento est. *Ornamentum* autem res *gaudij*, Et *Ornamentum grande grandis Gaudij*.

At qualis sponsæ: (Nam & id quoque inprimis ad rem 3
pertinet.) Certè *Sponsæ desideriorum*: Certè כלה quod in linguâ Sanctâ, *Sponsæ* nomen est, id est, *completa* vndiq;, & cui aptè quadret quod est in Versu præcedente, ut dicat de eâ *Sponsus*, חפציבה *Voluntas mea in illâ*, quam velit præ alijs quæ vspiam sunt omnibus.

Et mitto de *formâ* dicere, mitto & de *dote*; quanquam & 4
mihi *dicere* & *Illi gaudere* fas de utroque: Mitto tamen. 5
Omnis enim gloria *Filiæ Regis ab intus*, & κρυπτὸς καρδίας ἄνθρωπος, *Psal.* 45.13.
interior illa *in corde* latens *fœmina*. Illa verò (*ait* PETRVS) 1. *Pet.* 3.4.
in conspectu DEI *quantivis precij*, & pluris quàm exterior ista quæ homines ad se rapit.

6 Illud igitur dico; atque illud inprimis ei lætandum esse censeo, quod præstans animi Fæmina Ei obtigit, educata atque exculta, omnium solers, quæ scire æquum est *Regum Filias.* Quod illibata & pudica, ut de quâ mentiri vel fama vereatur. Verbo absolvam: de quâ sanctè id liceat affirmare,
Ruth.3.11. quod de RVTHA ille, *Scit omnis populus, qui totâ hâc regione habitat, mulierem eam esse virtutis.* Talis autem Sponsa quanti? Dic nobis SALOMON: *Quis inveniet mulierem virtutis?* τιμωτέρα λιθῶν πολυτελῶν τοιαύτη, *pretium ejus super gemmas rarissimas, charissimas,* de longissimis finibus petitas. Et hæc Tibi jam inventa est.

7 Super omnia quòd *Filia* SION est, quòd pietatem imbibit cum lacte nutricis, quòd DEI *timens. Fallax enim gratia, vana pulchritudo, Mulier* DEVM *timens ipsa laudabitur.*
Prov.31.30. *Corona* viro suo mulier talis. Quasi super DEI *Dono* lætabitur super tali. *Domus* enim & *Divitiæ* à *parentibus,* à DOMINO *autem propriè* (& notate illud *propriè*) à DOMINO *propriè Sponsa talis.* Quare *gaudebit Sponsus de Sponsa suâ.*

Sed anne de *Sponsâ* solâ gaudium hoc? Non certè: ἑλκυσίπεπλος est, *Syrma* habet, secúmque & post se trahit *gaudij* multiplicis. Trahit secum, quem habet Patrem *Regem Maximum*: Matrem etiam *Reginam Lectissimam*: Item *Principem* bono orbis Christiani natum: Atque omnes hos quasi *Sponso* desponsat. Omnes hos, atque omnes illos qui vel sanguinis hijs jure, vel affinitatis conjuncti sunt. *Gaudebit* & super hijs.
1.Sam.18.23. Libet autem hic & cum DAVIDE quærere: *Num parum vobis videtur, Generum esse Regis? Generum* autem in *Filiâ* non unâ ex multis, sed sic unâ, ut & unicâ.

At cujus Regis? Quid facias infælici huic seculo, in quo virtuti testimonium ferre, id jam scilicet *adulari* dicitur. Dicam tamen, nec præconio debito virtutem tantam fraudabo, ringantur licet & rumpantur, qui Illi, qui virtutibus Illius malè volunt. 1. Ac id primò ponam, quod extra aleam omnem est controversiæ. *Regis,* cujus dum *Gener* fit, in familiam se inserit inter totius Europæ familias *Regias* (fidenter dico) antiquissimam longè longéque nobilissimam. Nam id (*credo*) nemo mihi negaverit, quod posuit DEVS *Regem* nostrum Primogenitum suum, ac vel eo nomine excelsum præ Regibus

bus terræ. Nec *Reginam* hîc taceo, quæ *Regis Filia* vnius, alterius *Conjux*, tertij *Soror*, quarti quoque *Mater*, sed serò & suo tempore futura. In hoc jam Apostoli χαρὰ ἡ δόξα, *gaudium*, nec id solum, sed & *gaudium* & *gloria* summa. 1.*Thess.*2. 20. 2. Secundo & illud, quod non minus liquidum; *Regis*, à quo discat *virtutem*, discat & *eruditionis* laudem. Nulláne verò in Rege eruditionis laus? Nulláne in eâ voce vis, *Erudimini qui judicatis terram?* *Psal.*2.10. voce ad Reges inprimis, vel potiùs ante primos spectante. Nec erit hoc Illi in minimis laudum suarum, sed in omne ævum memorabile, quòd *legitur per orbem terrarum*, & sit Ei celebre nomen inter *Heroas literarios.* Gaude verò isto tam excellenti bono *Rex Magne*, ac fruere cùm fortunâ & gloriâ, tum naturâ & moribus Tuis. Certant in Te cum *Maiestate Amabilitas*; cum *Operum* laude, *sermonis* decus; cum *Ingenij* præstantiâ, *Iudicij* maturitas; cum *Virtutum* ornamentis, *scientiarum* lumina.

Reliqua non tango, quæ in Illo fulgent decora omnium Virtutum: Unam illam, quæ *conjugij* propria est, nequeo non tangere, tam est huic loco & tempori opportuna. Emicat enim Illi in medio virtutum choro, quæ raró per Orbem terrarum in *Rege* virtus est, *fides conjugalis.* Cujus non dubito, quin in misericordiâ suâ memor DEVS parem ei vicem rependet, ut & Sobolis suæ connubia castè integréque serventur, fide mutuâ, mutuâ castitate.

Et erant fortè præter nostram hanc, Regum Filiæ; sed (nescio quomodo) non libet dicere, de *incestis*, nec possum dicere, *castis* de *nuptijs* susceptæ; certè non de *thoro immaculato.* Nostra vero hæc casta, castis prognata parentibus; non ex *inconcessis* (ut ait ille) *Hymenæis*, aut innuptis nuptijs, quibus connubij jus fasque non esset, quibus opus *placato Pontifice*, quibus & *irato* metus. Sed castis omnino quæque *Pontificis* gratiam pariter ac iram insuper habeant, & quod vix reperias apud seculi nostri Reges, *immaculato thoro.* Nec dubito quin vel hanc ob causam, *gaudeat* super illas DEVS.

Unum, quod caput est *gaudij*, addo. *Gaudebit in Sponsâ*, super Patrem Sponsæ Socerum jam; super quem *gaudet* DE-

VS, sub quo Populus, super quem DEVS, gaudere se, multis quâ olim, quâ nuper argumentis, toti terrarum Orbi testatum reddidit: utpote quem non ab uberibus modo & cunis, sed vel ante cunas & ubera Embryonem adhuc mirifice tutatus sit. Exin verò quanta Illi pericula intentata! quantæ domi à factiosis Civibus molestiæ, quantæ à veneficis in *mari!* à fratrum pari perfido in *terrâ!* quantum & *subter terram* pulveris defossum est nuper! Sed transivit per aquam & ignem, & ex omnibus hijs in mari, in terrâ, sub terrâ, expedivit Illum, qui *super Illo*, qui super illius salute *gaudet* DEVS.

Vt autem DEO charus Ille, salusque ejus; Ita DEVS Illi vicissim, *veritasque* Ejus, Qui *Fidei Defensor* audivit, idque jure merito, quo nempe defendi amat *Veritas.* Non enim Illa, *gladio* amat; mavult stylo defendi. Quanquam nec

Rom.13.4. sine causâ *gladium portat* ubi opus erit, ubi ad manus ducta res & mucrones. Stylo (dixi) non Iuris modo *Regij*, contra illos de Româ *Anti-christos Christorum* DOMINI, quasi rem suam agat solùm: sed & contra misellum illum *Belgam*, *fidei* veræ verus *Defensor*, qui CHRISTVM ipsum DEI filium, adeóque DEVM ipsum in Throno suo væsanus homo impetere, & quasi *capite minuere* ausus est.

Quam verò *veritatis* tam & *pacis* studiosus. Nam & eam sibi ascivit in Symbolum, inscripsitque suis Regni Insignibus, *Beati Pacifici.* Quod, nisi intervenisset odiosum illud & *paci* planè *fatale* prodigium *Pulverarij Sceleris*; nisi post illud, Papæ & *Cardinalis* importunæ scriptiones, *beatus* Ille verè *Pacificus* jamdudum fuisset. Verumenim quæ ad pacem seriò secum meditantem ac versantem animo, ab hac tam sanctâ & salubri cogitatione, quàm vereor ne infandum Scelus illud jam penè penitus averterit. Ac alij quidem alijs nominibus ἀλάστορας illos, Ego verò vel de uno hoc, quòd sic pacis spem omnem præcîderint, à bonis omnibus, diris omnibus æternùm defovendos censeo. *Gaudebit in Sponsâ* super hoc *Socero* ac veriùs *Patre*; quem si per omnia in his imitetur, crede mihi *gaudebit* facto.

Pergo verò etiam. Nec dum enim *Syrma* hoc contrahendum nobis: vlteriùs se porrigit *gaudium* super *Sponsâ.*

Trahit

Trahit enim cum *Rege* tanto *Patre*, *Regna* ejus; atque cum Regnis omnes nos qui omnes Ejus sumus. Atque ita quasi Conjugium hoc est omnium nostrûm. Non enim familiam modò familiæ (namque hoc ad privatorum quoque pertinet) sed quæ Principum nubentium laus est, *Gentem Genti* desponsat: ut hæc non tam *personarum*, quam *provinciarum*; non tam FRIDERICI & ELIZABETHÆ, quàm *Britanniæ* & *Germaniæ* connubia sint. *Gentem Genti* dixi, immo *Gentes Gentibus*. Nam quà à Patre, *Angliam*, *Scotiam*, *Hiberniam*; quà à *Matre*, *Daniam* & *Norvegiam*, quà autem affinitatis jura commeant, per *Belgium* perque alias; quà verò & *Religionis* jura, qui *Religioni Orthodoxæ* favent omnino omnes. Quæ non satis ante connexæ inter se, hâc jam quasi *adamantinâ catenâ* constrictæ ac ferruminatæ, quasi unum in corpus coalescent, ac mutuas porrò vices præbebunt, ut coacto in ordinem *Romano Diotrephe*, qui *Monarcha* jam potius cluere vult quàm *Hierarcha*, reddatur optata *Pax* & nitor pristinus Orbi Christiano.

*Gaudere* quidem omnes certum est cum *Sponso*, super hac *Sponsa*, super hijs *Sponsalibus*. Nam qui alieno sunt à Religione animo, facessant se hinc. Nolumus *lætari Gath* vel *Ascalon*; Nec in *gaudio nostro miscebitur alienus*. Atque hæc mihi de Sponsi *Gaudebit super Sponsâ*, Sponsæque Syrmate dicta sunto. *Prov.* 14.10.

II

*1. De* DEI *interventu ad* gaudium *necessario.*

VErùm cum homini homo, vel gens genti, terra tantùm terræ sociatur. Majus autem hîc opus movet *Propheta*, ut & DEVS accedat nobis ad gaudium, qui vocatus aderit, & in societatem *gaudij* hujus non illibenter veniet. Illa quæ jam dixi *gaudium* modò sunt; hoc jam *corona gaudij*: *Et gaudet super te* DEVS *tuus*.

Ergóne ad *Nuptias* interventus DEI aliquis? Ergóne ad *gaudium Nuptiale*? Ad *Nuptias* planè. Addo enim, à DEO *Nuptiæ*, ut ipsa vox *Nubere*, aliquid trahat de *Nubibus*: atque ut vocis vis, sic natura rei ad *nubes* nos statim subvehat. Non enim *Naturalis* ille *consensus* solùm, qui in

*nuptiis*, ut in reliquo animantium genere: Non *Civile pactum* modo, ut in Gentibus quæ DEVM non nôrunt: DEI quoque *Fœdus* in *Sacris* dicitur, *Prov.* 2. 17. Scias autem DEI *Fœdus* esse vel hinc, quod vides omnia *Regum*, omnia *Naturæ vincula*, Vinculum hoc transcendere, cum *Sponsam* tenellam, cum ELIZABETHAM nostram vides in propinquo jam esse, ut derelinquat *Regem Patrem*, *Reginam Matrem*, apud quos optimè ei semper fuit, nihil unquam defuit ab infantiâ, ut illis derelictis, sequatur trans mare hominem, quem ante heri & nudiustertius nunquam vidit in vitâ. Hic jam aliquid de *Nubibus* certè. Hoc *Fœdus* DEI. DEVM autem interesse *Fœderi suo* par est, ne fiat sine DEO *Fœdus* DEI.

Absit verò, vt *nuptiæ* nobis nisi in DOMINO: absit, ut *gaudium*, nisi in DOMINO etiam. *Nubat* (est vbi dicit Apostolus) *tantùm in* DOMINO: *Et Gaudete in* DOMINO dixit alibi, *Gaudete semper*. Et, si verùm volumus semper gaudere, nisi in DOMINO non datur. Nihil habet hæc caro, nihil hæc terra sempiternum. Atqui nos non satis auspicatò vobis vovisse videmur, nisi si ex voto Prophetæ C. 51. 11. ut sit super capita *Sponsi* & *Sponsæ*, *lætitia Sempiterna*.

*Gavisus* est IONAS super vmbrâ *hederæ* suæ gaudio magno. Ascendit *vermiculus*, & percussit eam; *unâ nocte exaruit*. Quasi *hedera* illa *gaudium* omne *terrenum*, vmbratile modò; & nisi *vermem* DEVS arceat evanidum statim. Quod *vinum* CANÆ in *nuptijs* posuerat *Architriclinus deterius* erat, Joan. 2. 10. & citò tamen exhaustum: quod ei CHRISTVS vinum suffecit, *præstantius multò* fuit, & *duravit* ad finem. Vtique si absit CHRISTVS, si absque CHRISTO sit *nuptiale gaudium*, mox ibit in *vappam* crescente tempore. Advocetur ergo DEVS. Is se *Evam* adducat manu, erunt tum *Nuptiæ* verè *Paradisiacæ*. Advocetur & CHRISTVS; Is si *vini* ibi autor sit, *servabitur bonum vsque huc*. Quò diutius autem, eò dulcius meliúsque.

Ex opinione *boni magni* existit *gaudium*: id si de futuro pendet etiam (pendet verò de futuro etiam nostrum hoc,) Rom. 12. 12. *Spe* tantùm *gaudentes* sumus. Læta quidem satis principia, sed quid

quid longa dies vehet, non perinde constat. Cogitationes hominum timidæ; & incertæ, providentiæ nostræ. Quo ergo opinio hæc nostra jam in aliquid transeat opinione certius, ut qui *spe gaudentes* sumus, simus & *re*; certi reddendi quod incertum una ratio DEO, opus est χάρις σωΐζην. ut Ille nobis *gaudij* Adjutor sit: opus alterâ copulâ, à qua prior suspensa pendet, *Et gaudebit super te* DEUS *tuus*. Ne verò ne seorsim ista se habeant, sed in unum quasi *gaudium* concrescant, sit cum gaudio thalami, gaudium quoque cœli, sic *gaudeat Sponsus* ut & unà DEUS; non autem seorsim *Sponsus* & sine DEO.

Et quæ tandem ratio DEI conciliandi, ut Adjutor nobis sit *gaudij?* Nulla quidem prorsus, certè nulla potior, quàm si nos cum *Sione* conciliemus. Advertite huc animum. Perinde enim ut nobis de nostris, ita DEO *gaudium* est de sponsalibus suis. Nam & sua Illi *Sponsalia* sunt, teste *Hoseâ*: Et Filius ejus, nescio quot locis quasi Sponsus introducitur, suâ ipsius voce, *Mat.* 9. *Baptistæ Paranymphi. Io.* 3. PAULI præconio ad *Ephes.* 4. Tandem & IOANNIS, *Apo.* 19. quo loco etiam *Nuptiarum* solennia celebrantur. Mysterium de quo initio monui ex Apostolo, DEI *Sionem*, id est, CHRISTI *Ecclesiam* desponsantis.

2. *De* Sponsalibus *cum* Sione.

*Mat.* 9. 15. *Io.* 3. 29.

Desponsantis autem fide, apud *Hoseam*. Non enim *formâ* capitur ille, non vel *opibus* vel splendore *generis*. Terrena hæc authoramenta sunt. *Gaudebit*, si in familiam, si in Gentem inseratur *Sponsus*, ubi *Sion*, ubi *Oliva vera*, ubi suscepta publicè Religio casta, & cura cultúsque Numinis, qualem Ipse nobis verbo suo commendavit. Sic desponsari, talem in stirpem, familiam, gentem inseri, fælicitas summa quæ quidem homini evenire potest. Redit ergo res tota ad Religionem & *fidem*: danda opera, ut nectatur hic nodus. Is si salvus, *Si gaudes tu (Sion) super* DEUM *tuum, gaudebit super te* DEUS *tuus*.

Et en religio hic apud nos in Britanniâ nostrâ prisca, casta, defæcata, & verò quàm *Sion* agnoscat. Quid agimus? imúsne in hunc campum tam latè patentem, ut doceamus,

nusquam

nusquam gentium, religionem existere, cum *Sionis* veræ, id est, cum *Evangelicis Apostolicisque institutis* mage congruam quàm quæ hîc apud nos? Ecce autē *Confessionem nostram X L.* (uno minus) Articulis comprehensam. En verò & *Catechismum:* brevem quidem illum, sed cujus in brevitate nihil desideres. En Ecclesiæ nostræ *Apologiam* verè *Gemmeam.* Inde qui volet, petat: Nam prolixus hic mihi labor nimis, per singula discurrendi.

Circundate verò *Sion* & lustrate eam. Nobis *Canon* unus in Scripta relatus à DEO, *Duo Testamenta, Tria Symbola, Quatuor Priora Concilia, Quinque secula, Patrumque* per ea series, trecentos ante *Constantinum* annos, ducentos à *Constantino*, regulam nobis *Religionis* figunt. Quibus verò vetus *Catholica* non satis, sine *Romanæ* assumento novo; Quibus, in ijs quę dixi non est satis, nisi & ad fęces vsque hauriunt *abusuum* atque *errorum* (ut *fabulas* taceam & *figmenta,* quæ Ecclesiam post cœperunt occupare) fruantur sanè.

1 Age despondeant se DEO *fide* non *scriptâ*: *Sion* (hoc
2 certum est) non est ita desponsata. *Adorent quod nesciunt* in
Io.4.22. *Reliquijs* suis, adeoque & in Hostijs: A *monte Samariæ*, hoc,
3 non à *Sione. Quâ nesciunt linguâ orent*, sacra celebrent, *sine*
1.Cor.14. *mente, sine fructu* (Si benè rem nôrat Apostolus;) Non sic
4 *oravit*, non hæc *Cantica Sionis* sunt. *Invocent* in quem *non*
Rom.10.14. *credunt*: Sanctos autem in quos non credunt diligentiùs
frequentiùs adeant, quàm CHRISTVM: *In Sione* non fuit
5 sic. *Proijciant* se atque *incurvent* coram *pictâ sculptâve similitudine*:
6 *Sion* ad hoc, vestes suas scinderet. *Eucharistiam* mediâ
parte *mutilent*: In cænaculo *Sionis* neutiquam sic sumpta, sed
7 integra. *Adorent* ibi sub *speciebus delitescens Numen*, de pistrino
factum: horreret hoc *Sion* & planè refugeret.

Quid cum *adorant* positum ac sedentem super altare, *Papam* suum? Cum hominem (ut parcissimè dicam) *circundatum infirmitatibus*, sæpè illiteratum, sæpè spurcum, sæpissimè atque adeo hodie Canonistam merum; cum hunc ponunt sibi in columen Fidei & Religionis, ut qui *nequeat errare* scilicet: Ferrétne *Sion* hoc? Nihil hic quod *Sionem sapiat*, nihil planè. Nihil quod fidem illam primam, veram, *Sanctis*

Iude.3.

*semel*

*semel traditam.* Non hæc castæ Fidei *sponsalia.* Fuci meretricij multum subest. Non *gauderet* super ista DEVS.

En verò & *Ordinem* etiam apud nos *Ecclesiasticum*, quem vel *Apostolus* videre velit, viso gaudeat. De *Ordine* dico, non de hominibus; (nihil attinet;) qui quales quales sunt, DOMINO *suo stant vel cadunt.* Sed de *Ordine* ipso, quem præ me fero, quem dicere audeo *Apostolicum* planè. Nec *Disciplinam* magis ad mentem Scripturæ, magísve ex more institutóque *Sionis*, quàm quæ viget hîc apud nos, si obtineret, nisi (non dico per Leges) per *Leguleios* subnervata adeò foret. Rom. 14. 4.

Non hic videas mediâ de plebe *Presbyteros*; viros forte probos, sed *artifices*, sed *institores*, nec in Clero positos, atque ita *Apostolis* inauditos. Non *Diaconos* Sacris nunquam initiatos, mere Laïcos, annuos, bimulosve, pòst munere exuendos. Non mutilum Episcopis *Ecclesiasticum Ordinem*, quos *posuit* SPIRITVS SANCTVS *regere Ecclesiam* DEI. Sed enim quos omnis agnovit Antiquitas & venerata est, ritè ordinatos in Clero & de Clero *Diaconos, Presbyteros,* & supra utrumque *Ordinem Episcopos*: DEO primùm, pòst & Regi (ut mos olim in *Sione*) rationem reddituros procurationis suæ. *Ordinem*, quo nihil vel Sanctis Literis, vel Sanctis Canonibus, vel veteris Ecclesiæ praxi, vel *Christianæ* Reipublicæ Statui (ubi quidem penes unum rerum summa) magis consentaneum. Act. 20. 28.

Dumque ita nos CHRISTO, *Ecclesiámque* nostram uni Viro despondemus, & quasi castam Virginem exhibemus DEO, speramus *gaudere super Te* (Britannia) DEVM *tuum*: Speramus & lætâ fronte aspicere nostra hæc de *Sione* connubia, & signare super eâ lumen vultus sui. Quibus jam valedicentes benedicemus de *Sion*, quò & *Sponsus* atque *Sponsa* suo sibi gaudio, & verò *divino* hoc etiam, illi cum *Sione*, *Sion* cum illis mutuò, immortaliter, omnes denique in DEO *gaudeamus*. 3. *De utriúsque* DEI *&* Sponsi *gaudio.*

Atque ex hijs auspicijs, auspicatísque adeo initijs, speramus jus quoque fore nobis & partem in *Sponsalibus* magnis DEI & *Sionis*: vocatósque adeo iri nos tandem ad nup-

tias AGNI & SPONSÆ suæ. Quibus quisquis interfuturus, eo ipso beatus in omne ævum futurus est. Nam cœpit quidem Mundus à *nuptijs*, nuptijs in *Genesi*, ADÆ primi cum EVA; idémque desinet in *nuptias* Mundus, nuptias in *Apocalypsi*, ADÆ *Secundi* cum *suâ*, AGNI cum *Sponsâ*, DEI cum *Sione*. O illa lætitia, ô gaudium illud quantum erit & quale! *Non ascendit in cor hominis*, quâ ibi *lætitiâ* perfruentur, quibus *gaudijs* exultabunt, quantâ in *voluptate* vivent in æternum. Is sit finis omnium nostrûm: Eò perducat nos, & pervenire faciat *Sponsus* Magnus CHRISTUS DOMINUS noster, &c.

1. Cor. 2. 9.

*FINIS.*

# QVÆSTIONIS, NVNQVID PER IVS DIVINVM, MAGISTRATVI LICEAT A REO IVSIVRANDVM exigere? Et id, Quatenus ac quo-*usque liceat?*

*Theologica Determinatio:*

HABITA IN PVBLICA SCHOLA Theolog. Cantabrigiæ, mense Iulio, *Anni* 1591.

Per LANCELOTVM ANDREVVS S. Theologiæ Doctorem.




*LONDINI,*
Excudebat *Felix Kyngston* pro *R. B.*
& *Andraa Hebb.* 1629.



# NVNQVID PER IVS DIVINVM, MAGISTRATVI LICEAT A REO Iusiurandum exigere? Et id, quatenus ac quousque *liceat?*



E Quæstione in reos habendâ sub Religione juramenti, déque ejus per reos vel susceptione, vel declinatione legitimâ; nuper quæsitum est: *Nunquid per jus fásque divinum, Magistratui liceat à Reo jusiurandum exigere? Et id, quatenus ac quousque liceat?* Eam ego quæstionem, ne qua memoriæ vestræ, ne qua meæ confusio fiat; sic pote, quasi quinque in propagines, diductam volo. Neque verò in hoc tam succincto bidui spacio, methodus mihi magis distincta, in mentem venit. 1 An exigere juramentum liceat? 2 An Magistratui liceat? 3 An à parte reâ id liceat? 4 An omni in causâ id liceat; an verò non in Capitalibus, sed quæ mitiore pœnâ luuntur? 5 Quousque hoc liceat, & quatenus? E quibus priores illæ tres quæstiones, nihil quæstionis habent: si sani sumus in Theologia. Expediam ergo paucis.

Ac primùm, exigi licere jusiurandum jus sacrum est, 1
qua in re, plurimum interesse puto, (quod CHRISTVS fecit in causa divortij) qualis quæque res ab initio fuerit, id primum inquirere. Ætatis flexu multa mutantur: Prin-

cipium Index certissimus. Quæro igitur, ubi, & quando, prima juramenti mentio in sacris literis? Reperio, *Gen.* 24. ABRAHÆ scilicet adigentis ad jusiurandum servum suum sub hijs verbis, hácque cæremoniâ: Pone nunc manum sub femore meo, ut jurejurando te obstringam, accepturum te uxorem filio meo, è cognatione mea. Ita, quod primum est in sacrâ paginâ juramentum, expressum est.

Ac ut antiquissima & primâ: ita frequentissima & penè sola hujusce mentio. Hoc ipsum (*jurare*,) vix reperias usquam in Testamento veteri, nisi vel sub *Hiphil:* id est, conjugatione præceptivâ, ratione deferentis: vel sub *Niphal:* id est, conjugatione passivâ, ratione suscipientis. Eodémque jure & Græci sunt, apud quos ὅρκος, Iuramenti nomen est; quod ferè solum in Testamento Novo Spiritus Sanctus agnoscit. Est in ea voce coarctans quædam necessitas, & (ut loquuntur) exigentia, non minus quàm in ἕρκος. Ab eâdem enim voce, vox utraque, nempè τοῦ εἴργειν, coarctandi. Illorúmque proverbio decantatum est, ὅρκον καὶ πόλεμον, Bellum & jusiurandum, ἐπιδικτὰ κακά, id est, spontanea, mala esse: & ut bona sint, ἐπακτὰ, esse debere; id est, *pressa & expressa* (ut scitè AVGVSTINVS de juramentis) *vel auctoritate deferentis, vel saltem duritie non credentis.* Ut nisi aliquo saltem modo, atque aliquâ (nec levi) causâ, exigatur; peccetur, tum jurejurando, tum belligerando. Exigi ergo posse, vel debere potiùs; ipsa naturæ, ipsa vocis vis, evincit.

2 Sed nunquid à Magistratu? (secunda jam hæc propago est.) Certè, à Magistratu.

Sic olim Theologi, Non modò quódque corpus, sed animam adeo quamq;, Potestatibus subjectam esse, *Rom.* 13. 1. Esse igitur Potestati, factam potestatem, ut corpus tradat custodiæ incarcerando, ne quò aufugiat: Esse itidem, ut animam quoque tradat custodiæ suæ, jure-jurando; ne quò scilicet subterfugiat. Quo nomine aptissimè DEVS ipse dixit, Iusiurandum אסר נפש, id est, animę vinculum sive carcerem. (*Num.* 30. 13.) quo quasi constringatur anima: constricta appositè & expeditè respondere teneatur. Verùm intro adhuc magis: Si DOMINO hoc licet in servum, ut ABRAHÆ, *Gen.* 24. 3. si patri in filium, ut IACOBO in

IOSE-

IOSEPHVM, *Gen.* 47. 29. si fratri in fratrem, ut eidem IACOBO in ESAVVM, *Gen.* 25. 33. nempe adigere ad juramentum: Vtique meliore id jure licebit Magistratui in subditum, cujus imperium omni alio imperio excellentius est. Addo etiam, si de ritè collocando in matrimonium filio, id liceat, ut ABRAHÆ servum: si de commodo sepulturæ loco deligendo, ut IOSEPHVM: si de jure primogenituræ transigendo, ut ESAVVM; privatis in caussis, addo etiam & minutissimis, si cum publicis conferantur: utique meliore hoc jure licebit magistratui, in communi Republicæ causâ, cujus interesse est majus omni alio interesse.

Idque cautum est lege divinâ, *Exo.* 22. 8. disertis verbis. *In causâ depositi, sistant se corām Magistratibus, ait* DEVS. Quo in loco, DEI ipsius nomine, nominantur Magistratus: Nec quovis nomine, sed illo ipso quod ab אלה, id est, *adjurandi vi* transumptum est. Quasi dicat, Coram Iuratoribus se sistant, aut iis, qui (cum DEI vice, jus dicant) in judicio ipsius, ipsius nomine, juramentum ipsius exigere possunt. Nempe Vicarij DEI, *Psal.* 82. 6. in judicio DEI. 2. *Chr.* 19. 8. juramentum DEI. *Eccl.* 8. 2. Magistratui ergo licet; Magistratui (dico) cùm Ecclesiastico, tum Civili. Coram illo, nempe Ecclesiastico, lege purgare se *juramento* jubetur mulier, in causâ suspectæ fidei conjugalis, *Num.* 5. 19. Coram hoc, Civili scilicet, lege purgare se juramento, jubetur vir in causâ suspectæ fidei socialis, *Exo.* 22. 8. Cujus praxim videmus (est autem *praxis sanctorum, interpres præceptorum*) Ecclesiastici quidem in *Esra*, qui juramentum exegit in causâ matrimonij, *Esr.* 10. 5. Civilis verò in *Nehemia*, qui ad juramentum adegit in causâ fœnoris, *Neh.* 5. 12. Neque verò Magistratui solùm pio & religioso, hoc juris est; verùm & Ethnico; idque in populum DEI. Præstitit NEBVCADNEZZARO juramentum ZEDECHIAS de fidelitate præstandâ, 2. *Chr.* 36. 9. adactus præstitit; ritè tamen si EZECHIELI credimus. Idque cum pòst, ausu sacrilego, violare tentaret; non tulit impunè, *Ezech.* 17. 13. Addo denique; Non hoc tantùm illis licere in populos suos; verùm & in hospites ac peregrinos

nos quoque, intra ditionem ſuam, ſive commercij, ſive aliâ de cauſâ hærentes. Quo ipſo nomine, IOSEPHVS *Ægypti* jam Prorex, juramentum defert fratribus ſuis, etſi legibus & naturâ Chananæis, in cauſâ ſuſpectæ proditionis. *Gen.* 43.3. Ex hoc ergo jam liquet; tum exigere licere, tum licere etiam Magiſtratui.

3 Sed utrúm-ne à reo? (Quod ſum pollicitus tertium.) Nec id in dubium vocari poteſt. *Exod.* 22. 8. Depoſitarius *pars rea* eſt. *Num.* 5. 19. Mulier viro zelotypo ſuſpecta violati thori, *pars rea* quoque. At utrique defertur juſiurandum, nec declinare fas fuit. Paucis complectar: ſive quis dolo rem proximi intervortit, ſive malâ fide amici rem procuravit, ſive rem repertam, repetenti non reſtituit, *Lev.* 6. 3. ſive (ut mihi quidem videtur) ullo præterea in crimine (indefinitè enim ponitur, 1. *Reg.* 8. 31. את אשר יחטא id eſt, quicquid peccaverit) licuit actori שאת בו אלה להאלתו, id eſt, *juramentum reo impingere*, vel *levare ſuper eo juramentum* (*Hebraica* phraſi.) Nec reo detrectare licuit, ab actore quidem ipſo, nedum à Magiſtratu delatum. Equidem incidere non negem tempora, ut vel ipſi actori deferri expediat, non ſolùm reo. Vtrique namque prævaricari contingit; Actori, calumniando; Reo, tergiverſando. Sed ſi jus, è cœlo petimus, id eſt, è ſacris literis; reo magis. Exempla quidem ab eâ parte ferè ſunt. Vix vnquam reperias in lege, delatum actori juſiurandum; Reo reperias quàm ſæpiſſimè. Rationem reddit MOSES: Actori (quippe qui plerunque pars læſa ſit) incaleſcit animus, totus in fermento eſt, iræ, vindictæ, malevolentiæ œſtro percitus, *acceleraret ore ſuo*; quod in juramento vetat ſapiens. *Eccl.* 5. 1. Quare inepta planè materia juramenti. Reus, quem falſi criminis reum, lex ſemper autumat, quoad conſtet contrarium, multo aptior. Minus in eo præjudicij, minus affectionum, præter fortè timoris, qui ipſe cos eſt quaſi juramenti. Quare, à reo exigi, & licet, & verò par eſt.

4 Accedo ad quartam: *Quâ tandem in cauſâ iſthuc par ſit*; quæ paulo ſpiſſior eſt, & plus quæſtionis habet. Ac cauſarum quidem non aliundè diviſionem petam, quàm è jure noſtro: id eſt, Theologorum. Ibi, lege ſacra, aliæ, חברי-פשע

id

id eſt, Noxæ ſeu prævaricationes cenſentur. *Ex.* 22.9. aliæ, משפטי מות id eſt, cauſæ capitales. *Deu.* 21.21. Quarum atroces hæ, vita quidem ſanciuntur: vita, ſive *naturali* morte moriatur: ſive *Civili*, id eſt, exilio: ſeu (ut ſacræ literæ loquuntur) eradicatione. *Eſr.* 7. 26. Quibus congeneres ſunt משפטי דמים id eſt, cauſæ ſanguinariæ: quales erant, *Deu.* 25. 12. Membri amputatio; & ibidem verſu 2. plagarum inflictio. Illæ verò alteræ non perinde graves, partim pecuniarum mulcta conſtabant, ענש נכסין, partim vinculis לאסורין *Eſr.* 7. 16.

Ecquis in ijs quæ capitis ſanguiniſve pœnâ luuntur, iurijurando locus? Non ſanè ſuadeo. Primùm, ſcripturæ praxis contrà venit. Video enim, cum de ACHANIS capite ageretur, IOSVAM ſic agentem: *Narra mihi, fili mi; non jura mihi.* Cum de IONATHANIS, SAVLEM identidem: Dic mihi IONATHAN; non dejera mihi. Spontaneâ, non expreſſâ confeſſione; interrogatione ſimplici, non religione juramenti. Quin (quod caput eſt in hâc quidem cauſâ) video prophetam ipſum IEREMIAM ab ipſo rege interrogatum, *Peto abs te verbum, ne celato me illud*; ſtipulante, (nec id ſanè ſine ſpiritu dictante) *Tantùm ne capitale mihi ſit reſponſum meum.* Ac ſi in jis quidem cauſis immunitatem DEVS dediſſet reſpondendi. *Iere.* 38 14. Ac ratio quidem favit. Sic enim (quoad ejus fieri poteſt) queſtiones à Magiſtratu habendæ ſunt; ut manifeſta abſit jactura animarum. Cúmque ex ore maximè mendacis, illa vel maximæ veritatis ſententia prodierit, (*Pellem pro pelle, & quidquid eſt viro, daturus eſt pro vitâ ſuâ. Iob.* 2. 4.) verendum ne illud (*Quicquid*) tum conſcientiam ipſam juramenti, tum timorem Numinis, tum quicquid præterea religionis eſt (ut homines ſunt, utque mentem habent) comprehendat. Quare, etſi nihil definio: tamen (neſcio quomodo) in hijs quidem cauſis, propter perjurij periculum præſens, jurijurando parcendum cenſeo; legéſque quibus vtimur (κατ' συγγνώμην ſaltem idem hoc cenſuerunt. In alijs verò ijs, quæ minore noxâ cum ſint, mitiore pœnâ plectuntur; non cenſeo. Niſi fortè, Comicum quoque illud jam in Theologiâ receptum ſit: *Iuramentum rei ſervandæ, non perdundæ conditum eſt.* Cautum

O eſt

est enim lege generali, Lev. 5. 4. *Quod quis juraverit sive benè se facturum, sive malè id fuerit; teneri debitorem, ut faciat:* Idque cum de *malo culpæ* intelligi nequeat (ut in scholis loquimur) *ne sit enim sacramentum pietatis, vinculum iniquitatis:* in *malo pœnæ* teneat necesse est. Quo in genere, nec renuere juramentum licuit, nec datam in eo fidem pòst rescindere.

1 Non renuere: Sciens prudens exegit à SCHIMEIO juramentum SALOMON, in damnum libertatis suæ; ne quò se scilicet proriperet trans *Cedronem*: legitimè exegit. Cúmque post SCHIMEI (juratus ne transiret) transiisset tamen: capite luit, & licitè quidem luit, non tam transitu *Cedronis*, quàm juramenti sui, 1 *Reg.* 2. 43. Quid quæritis? Quanquam prophanus SCHIMEI, juramentum nullus detrectavit; etsi in dispendium libertatis suæ. Neque verò MICHEAS, qui juramenti religione obstrictus à rege; (neque aut semel id, aut tum primùm, sed aliquoties ante factitatum) quod solutus renuit, adjuratus non renuit, sed respondit; etsi certa illi pœna ante oculos, etsi amandandandus ob id responsum in domum carceris. 1. *Reg.* 22. 16. Quo exemplo, tum id constat in more institutóque positum fuisse *Israëli* in responsa jurare: tum id, quanquam prophetam MICHEAM, non ausum tamen (inscitiâ id fortè juris divini) quod nos hîc hodie facimus; aut stipulari, ne fraudi sibi sit juramentum suum, libertati suæ; aut si id non detur, tergiversari.

2 Non rescindere: Quod ipsum summo scilicet argumento est, legitimè præstari. Nam ni ita sit, Rectè AVGVSTINVS: *Injusta vincula, rumpat justitia.* Non erit (spero) deteriore jure magistratus, quàm quivis de plebe. Atqui privati cujusque ea demum virtus non infima; Si juratus in damnum suum, non mutet tamen, quod vicino pepigit. *Psal.* 15. 4. Et, si non, quod vicino; nec quod Magistratui: Meliore quidem jure, pari saltem. Quid quæritis? quanquam prophanus ESAV, juramentum nullus revocavit; etsi in dispendium hæreditatis suæ. Verum enim, ut quo jure sint privati, hac in re semel sciant; neque regi fas istud. Iuravit in damnum suum ZEDECHIAS, ídque primâ facie; servitutem scilicet, tum suam, tum populi sui, *Ezech.* 17. 13. mutavit;

mutavit; sed & deteſtante factum DEO, & vindicante. Neque verò reipublicæ. Reſpublica *Iſraëlis,* juramenti interventu, fœdus cum *Gibeonitis* ſancivit. Contrà venit illud, tum commodo ſuo, tum politico DEI præcepto. Non cenſuit mutandum, rectè cenſuit. *Ioſ. 9. 15.* Idémque cum SAVLVS poſteà mutandum cenſeret, etſi zelo id *Iſraëlis* factum, periculo id primùm regni ſui, excidio pòſt poſteritatis expiavit. 2. *Sam.* 21.2. Non regi, non reipublicæ nec privato igitur. Concludo jam: Abſit modò capitis periculum; in rebus cauſíſque, quæve mulcta, quæve carcere plectuntur; Et ſubdito præſtare juramentum fas eſſe, & magiſtratui poſtulare.

Verùm in eo hæſitationis plurimum; hoc ipſum quouſque liceat, & quatenus. Quod ego dum expedio: actio mihi tota, ſive (ut loquuntur) *proceſſus judicialis* obeundus eſt; ut, qua tandem prodire tenus, ubi non datur ultrâ, cognoſci poſſit. Ac illius quidem (quod ad præſens hoc inſtitutum noſtrum attinet) partes tres: quas hijs nominibus in ſacris literis deſignatas video. Prima, Admiſſio litis, [a] מובא ריב dixere *Hebræi*: id eſt, ingreſſum cauſæ ad judicium; ex *Eſaiæ.* 1.23. Divus PAVLVS παράδεξιν ἐγκλήματος. 1. *Tim.* 5. 19. Secunda, Status cauſæ, eiúſque poſitio [b] מכונת ריב id eſt, baſin litis *Hebræi* nomen fecere, ex *Deut.* 19. 13. *Græci* τὸ κρινόμενον. *D.*PAVLVS (ni fallor) ἀντιλογίας πέρας. *Heb. 6. 16.* Tertia, Probationum inquiſitio [c] חקר ריב id eſt, perveſtigationem litis *Iudæi* appellant, ex *Iob. 29.16.* *Græci* κατασκέψιν: *D.* PAVLVS βεβαίωσιν. *Heb. 6.16.* (Nam cum quartâ, quam [d] פתגם id eſt, ſententiam omnes vocant, nihil mihi negotij.) Tria ergo hæc inſunt in omni judicio: Legitimè quis vocari in jus debet: Pòſt, ſtatus cauſæ fieri: Probationes demùm inquiri.

[a] *Mobba ribb,*
[b] *Mechuna ribb,*
[c] *Cheker ribb,*
[d] *Pithgam,*

Ac in primâ quidem, haud ullus (quod ſciam legerímve) juramenti uſus. De eâ tamen ut inquiram; facit quorundam error, minuendus mihi hodiè (ſi fieri modò poſſit) qui non ſatis ſibi accuſati, imo qui ſeipſos accuſaturi ſibi videntur; niſi prodeat in medium ac conſpectum accuſator quiſpiam: quíque quod ab ijs juramentum requiritur, ad ſtatus poſitionem, id eſt, partem ſecundam, illud ad primam hanc, id

id est, litis admissionem requiri, falsò id quidem & temerè arbitrantur; sed tamen arbitrantur.

1 Propono itaque sic: Omni in lite, vel ita in aperto rem
a esse; ut constet tum de facto, tum de personâ: Sive ἐπ' αὐτοφώρῳ
b depræhensa sit pars rea: id est, (ut loquuntur) in facti flagrantiâ, ut illa, *Ioan.* 8. 4. sive ita manu elatâ, vel ausu (ut dici solet) notorio, ut coram magistratu cœtúque universo tentata fuerit, quale ZAMRI facinus, *Nu.* 25. 8. In quibus ita propalàm gestis, nihil accusatore, nihil teste opus est: vel
2 sanè ejusmodi, ut aut de facto constet incognitâ personâ, ut
a in cadavere reperto, cujus percussor ignoratur. *Deut.* 21. 1.
b aut de personâ quidem, incognito facto, ut in ACHANIS. *Ios.* 7. 18. Quâ quidem in re sic controversâ, vocari quispiam in jus poterit, modis quatuor, ex divinæ legis sententiâ.

1 Etenim vel indicijs prodi quis poterit, ut in primâ illâ justitiâ divinâ (quàm humana omnis imitatur) actum est contra ADAMUM, sine delatore, solis indicijs: quod se scilicet proripuisset in fugam, atque inter densa arborum abdidisset (conscij nimirum animi indicium.) *Gen.* 3. 8. In secundâ illâ, contra CAINUM, ex indicijs itidem, (nempè ABELE nusquam comparente,) repertâ effusione sanguinis, prægressâ in ABELEM sive irâ, sive invidiâ CAINI. *Gen.* 4. 6, 10. Primus hic modus est.

2 Secundus: vel insimulante altero prodi quis poterit; ut illa ipsa in justitiâ primâ, solus ADAM citatus: sed is in quæstione (ut fit) EVAM insimulavit; EVA itidem serpentem. *Gen.* 3. 12. Atque ita illi quoque rei peracti sunt.

3 Tertius: vel porrò infamiâ, (ut plerunque improborum facta suspicio consequitur, suspicionem sermo, sermonem insinuatio.) Atque ita scilicet, actum contra *Sodomitas. Gen.* 18. 20. *Clamor Sodomorum cum multus sit; descendam & inquiram,* (inquit DEUS.) Eodémque modo, quæstiones habitæ, tum in lege: *Si perlata ad te fama fuerit, aut si fando fortè inaudieris. Deut.* 17. 4. Tum in Evangelio, ut contra incestum. 1. *Cor.* 5. 1. ὅλως ἀκούεται.

4 Quartus: vel denique *suggestione* seu querelâ, ut in *Iobi* causâ. Ca. 1. 11. Vbi accusator fratrum nostrorum, (ut

eum

eum Divus IOHANNES nuncupat) ſanctum illum virum, hypocriſeôs, falſi quidem criminis, ſed tamen criminis, reum, fecit. Eáque partim juridica; quo nomine fuerunt apud *Hebræos*, qui בעלי משפט *baale miſhpat*, id eſt, magiſtri litis dicebantur. *Eſa.* 50. 8. Ubi pœna rei quæritur, vel læſæ parti ſatisfiat, in cauſâ injuriæ. Partim (ut loquuntur) *Evangelica*, quâ Eccleſiæ denunciatur quiſpiam. *Mat.* 18. 17. ubi medicina tantùm rei quæritur, ut Eccleſiæ ſatisfiat, in cauſâ ſcandali. In primâ, res ipſa loquitur (ut dici ſolet) reúmque inſimulat. In ſecunda, reus alter alterum. In tertiâ, populi vox delator eſt. In quartâ, unus quiſpiam, proprij veríque nominis *accuſator*.

Addo etiam hijs quintum adhuc, verum non (ut hæc) ordinarium expediendæ litis remedium; quin planè extraordinarium; nec adhibendum, niſi in valle ACHOR id eſt, contra perturbatores *Iſraëlis* (hoc enim ſonat vox ACHOR:) nempè atroci aliquo in ſcelere, aut periclitante Eccleſiæ regníque ſtatu. In ijs enim decurritur ad extraordinaria, ad ſortes ſcilicet, à IOSVA, quod quibuſvis in cauſis, non datum eſt *Ioſ.* 7. 16. In ijs, ſua ſolùm ſuſpicione fretus IOSEPH; *Næ vos exploratores eſtis* (inquit) *& ad nudas terræ partes detegendas veniſtis. Gen.* 43. 3. Cúmque illi negarent; ſine indicio, famâ, delatore quoquam; quæſtione habitâ, SIMEONEM detrudit in carcerem, reliquos adigit ad juramentum. Nec illi ad jus gentium provocant tamen, aut contra jus fáſque ſecum agi conqueruntur. Vbi enim de reipublicæ pace agetur, tánti illa eſt; ut non dubitem, DEVM, ſuum Magiſtratui zelotypiæ ſpiritum permiſſurum eſſe, de ſalute *Iſraëlis* ſui: non minùs quàm marito ſuum permiſit, de caſtitate conjugis ſuæ. *Num.* 5. 14. Nam & res de quâ agitur in ſummo gradu periculoſa eſt, ut diſſimulari non debeat: & perſonæ, quibuſcum agitur, niſi conſcios ſuos, teſtes nullos adhibere ſolent, per quos argui poſſint. Et ſcelus ipſum, quo de agitur, ex eo genere ſcelerum eſt, quæ impreſſa poſt ſe veſtigia, aut notas non relinquunt, per quas manu teneri queant. Quare in iſtis non minùs ſuſpicione ſolâ accuſare, quàm per Equuleum, Cippum, Scapham, quæſtionem habere fas: (cui rei

*Iere.29.26.* fuerunt illa in divinâ republicâ.) Quorum utrumvis, in alijs, sive litibus, sive criminibus, nemo permiserit. Rectè (si benè memini) SENECA rei rationem reddit: *Vbi scelera per abruptum eunt, iniquum est justitiam ad gradus teneri.* Cui non valdè dissimilis est, (ejus qui in scelere ACHANIS abrupto ad sortes decurrit) quæstio planè extraordinaria. Perturbari vult illos *Israëlis* DEVS, qui perturbare nituntur *Israëlem* DEI: ejúsque rei vallis ACHOR, perpetuum monumentum.

Iam verò quemcunque in jus vocarit magistratus, præeunte ex quatuor illis uno (aut, si de Reipublicæ Ecclesiæve pace agatur, quinto etiam) legitimè vocatus est. Nec est, quod metuat, ne se accuset aut prodat; accusatus jam & proditus legitimè. Est quod curet, quo modo se accusatum sic proditúmque, legitimè defendat. Atque hactenus de jure accusatorio.

Assumo jam secundum. Re, sic, sub judice, in dubium vocatâ, vel fatetur reus admissum scelus, quod fecit ACHAN; ac tum in confessum, nullæ sunt Iudicis partes, nisi ut ferat sententiam: Vel, (quod ferè fit,) negat; quod eleganter inprimis expressit SALOMON, *Pro.* 18. 7. *Iustus est, qui primus in lite est, donec superveniente proximo, pervestiget eum Iudex.* Negante jam reo per depulsionem, actore per intentionem affirmante, oritur *Paulina illa* ἀντιλογία, de qua ad *Heb.* 6. 16. Cujus ἀντιλογίας πέρας, seu contradictionis terminus, illud est, quod in omni judicio quæritur, ut ibidem Apostolus animadvertit. Terminus autem nullus reperietur, donec in æquilibrio res; id est, nisi altera causa uberiorem habeat βεβαίωσιν, quàm altera. Apostoli ea vox est eodem in loco. Eam ergo, quâ parte lateat inquirere, judices partes sunt. Tenuis enim labor, tenuis laus, lites dirimere quæ in proclivi sunt. Illas, quarum obscurum jus est & perplexum, excutere; id demum Iudice dignum. *Causam quam non cognovi, pervestigavi eam,* de se ait *Iob. cap.* 29. 16. Idque ipsum dextrè commodéque præstare, honor est magistratus, ait SALOMON *Prov.* 25. 1. Cui ipsi honori summo fuit, sententia, quàm tulit in lite omnium difficillimâ, inter cauponas de incertâ matre pueri superstitis 1. *Reg.* 3. 27. Atenim priusquam adhiberi, aut debeant, aut possint βεβαιώσεις illæ,

id

id eſt, probationum ſtatumina: ſtatus aliquis fiat neceſſe eſt, & quaſi cardo quiſpiam ſit, in quo cauſa vertatur, ac id, omnium primò conſtare, quid & quouſque affirmet hic, neget ille; in quo pedem ponere uterque ac ſeſe jure manuconſertum, vocare poſſint. Dicit IVDÆVS, omnino prudenter dicit: *Ante omnia repone mihi litem ſupra baſin ſuam,* שים ריב על מכונתו Quod ni facias, erit (uti aptè quidem loquuntur ex *Proverb.* 21.) actio tota הבל ריק id eſt, mera vanitas, inter actorem & reum, hinc illinc, ultrò citróque, agitata. Quod cùm nec in ſcholis hîc ferri poſſit: multo minus in judicio debet, cujus eſſe debet, ſacer ac ſolennis proceſſus omnis, ipſâque juſtitia juſtitiæ, ut eſt, *Deut.* 16.20.

κρινόμενον jam hoc, ſive ſtatus (ſeu quis appellare malit) ἀντιλογίας πέρας, aut eſt ex parte Rei quærendus, aut ex Actoris. Non ex Actoris: Non poteſt ſæpè, quia is ſæpè nullus; ubi aut Indicijs quis in jus vocatur, aut famâ. Et cum eſt; tranſverſus fere rapitur: ſive odio, ſive cupiditate aliquâ obliquâ impulſus eſt, ipſe ut ſine ſtatu ſit, ut fruſtrà ab ipſo ſtatum quæras. Quare Reo facta hæc gratia, ſeu potiùs hic honor habitus eſt (qui & ſemper perſona eſt certa, quemque lex non convictum habet, pro inſonte) ut ipſe ſibi ſua vel affirmatione vel negatione ſtatum figat: Imò verò ut illius ſolo reſponſo totius controverſiæ ſtatus fiat: nec ſtatus modò controverſiæ, ſed (niſi falſi convincatur ſub teſte duplici, omni exceptione majori) controverſiæ finis quoque. Sed enim ne ſtatu, ſic à ſe defixo, ſi ſolutus & liber eat, ſtatui pòſt ſuo non ſtet; ſed tergiverſetur, ac recedat ab inſtituto: adhibetur illi vinculum אסר נפש *animæ vinculum* (ut DEVS ei nomen fecit) religioſa ſcilicet juramenti affirmatio; quâ nempe, illius anima quaſi conſtricta vinculo, veritatem, (non eam quidem abſolutè) ſed prout ipſam ſciverit, crediderítve, ſanctè & ſincerè tenetur eloqui, nec contra mentem ire (quod mentiri dicimus) ſed quaſi cum DEO agat ita cum magiſtratu agere, DEI & locum tenente, & vices gerente, & jus exigente.

*Iſraëlis* hoc inſtituto niti & populi DEI, (ut nempe juretur in reſponſa) evincunt & illa MICHEÆ praxis (de quâ ante mihi mentio) & verò multo aptiùs, altera illa in quæſtione de

de ELIA 1. *Reg.* 18. 10. Ubi cùm disertè respondissent, *non est apud nos*, non eo contentus rex, adegit eos insuper ad juramentum, quod non invenissent eum: quasi nulla lex cogeret, responso acquiescere hominis injurati. Quare ut æquum omnino est, constringi Reum, nè elabi denuò & statum mutare possit; ut subindè alius atque alius, atque ita (reverà) nullus sit consistendi locus: ita constringi non aut nudo responso, aut (ut alijs videtur) pecuniæ mulctâ (animæ hæc vincula non sunt; quæ sola interpres est veritatis) sed solo, verò, & unico animæ vinculo, id est, jurejurando. Atque ita demum cardine totius causæ sic (ut par est) posito; ad illas quas nominat Apostolus βεβαιώσεις progredi fas.

Neque verò (quod quosdam criminari audio) Reum sic astrictum esse convenit, Actorem omni modo liberum. Neque verò hoc jure utimur. sed, ut jure-jurare actorem, non sanè tutum, propter, quas bis jam nominavi, causas (& DEUS ipse Satanam, quem διάβολον, id est, calumniatorem esse scit, κατήγορον, id est, accusatorem esse permittit: ) ita referre tamen in codicem tenetur delationem, suámque insuper syngraphâ fidem obligare, sub certâ mulctâ pecuniæ, sub certâ notâ infamiæ, sub precio reddendæ cessationis (ut loquitur lex) ni quam suggessit, accusationem & prosequatur, & probet. Ita utrinque cautum est; illinc jurisiurandi religione; hinc mulctâ duplici, infamiâ non simplici; ne aut calumniari Actor, aut Reus regiversari possit.

*Apoc.* 12. 10.

*Exod.* 21. 19.

Iam verò jure-jurare Reum primò, ac dein respondere (quod nonnullos malè habet) ideò jus est; quia si injuratus id faceret, nugatoriè faceret (nempè solutus religione) si quâ in codice clausulâ paulò magis premeret; abnuerit responsum, versaret se huc, illuc, ambages, diverticula, cautelas quæreret; nihil aut explicitè, aut appositè, responderet. Id quod religio erit facere, postquam juramento obstrinxit se, sanctè tum omnia, candidéque facturus. Injuriæ scilicet, quàm perjurij reus esse malit: & damno se potiùs subsubjiciet, quàm damnationi.

Formulam è lege petimus & sacris literis: Nulla mihi aptior ad institutum hoc videtur ESRÆ quæstione illâ, Capitibus *Esræ* 9. & 10. in quâ Rei respondent, sed priùs jurati.

jurati. Cujus totius judicij ordo hic. Accedunt viri primarij, atque rem referunt ad ESRAM, de inito per nonnullos (centum putà & decem) cum alienigenis conjugio, *c.* 9. 1. Adigit ESRAS reos ipsos, etiam plerosque ne reos quidem, ad juramentum *c.* 10. 5. Adigit autem, in causa, in qua convinci testibus poterant. Sed tamen primò adigit, pòst ejusdem *cap.* 5. 16. ESRAS cum reliquis, quibus delegata ejus rei cura, sedent ad quæstionem habendam, quam tertio demum mense pòst effectam dederunt. Quæ forma cum ESRÆ fuerit scribæ prompti & periti in lege DEI sui; respondere poterit votis, non iniqui hominis, ad legis practicam (ut loquuntur) & instituta cognoscenda. Atque hic jurisiurandi usus prior; justus ac legitimus, in basi nempè litis stabilienda.

Alter est, cum argumentis agitur ad fidem auspicatæ jam 3
liti faciendam. Argumenta verò, sive βεβαιώσεις, illæ, quibus a
Iudici fides fit; partim notæ sunt atque indicia (quæ rei na- b
tura fert) certa atque indubitata: partim testimonia incorrupta atque integra.

Indicia; qualia proferuntur à parentibus in causa traductæ virginis, *Deut.* 22. 17. Testimonia; quorum sub fide itidem, omnis actio confirmatur, *Deut.* 19. 15. Quorum ego in numero (testimoniorum dico) jusiurandum pono; & ipsum ἀντιλογίας πέρας, sive (ut loquuntur) *litis decisorium*, *Heb.* 6. 16. Iurisiurandi autem ex veteri canone, *Hebræi* partes duas, seu malit quis, genera duo, fecêre.

Priorem שבועת העדות, id est, solennem contestationem, quâ *Shebuath haeda.*
quis aliorum defectu testium, sive qui non possint, sive qui nolint, testimonium ferre; DEUM ipsum ubique & in omnibus præsentem, ac jus testis habentem, testem advocat: *Vivit* IEHOVA *coram quo loquor*, contestationis, formula, *Iud.* 8. 19. Posteriorem verò שבועת האלה; id est, diram exe- *Shebuath baala.*
crationem, quâ quis contestationi suæ fidem facit, oppignoratâ quasi salute suâ, & abdicato, quicquid sibi in DEO aut spei, aut tutelæ est; si falsi testem fecerit. *Sic faciat mihi* DOMINUS, *& sic addat:* execrationis formula, 1. Sam. 14. 44. Neque verò minùs interesse putârunt Theologi, neque minus teneri Reum, sive alterutrâ utatur, sive

utrâque. Addo etiam; sive contestetur Reum Magistratus, aut execretur adjurando; sive ipse se, jurando. Perinde enim esse, fiat hoc, an illud levetur juramentum supra Reum à Iudice; an levet ipse supra se. Idque constare volunt tum ex *Prov.* 29.24. ratione θέσεως: tum ex *Iud.* 17.2. ratione hypotheseôs. Verùm lis ista aliam in litem incurrit; non prosequor: prosequor quod institui, de argumentis.

Iam verò Iudici à DEO potestas facta, tum inquirendi criminis argumenta, tum citandi testimonia; tum deferendi juramenta, ídque ad causæ βεβαιώσεις colligendas. Potestas illa fit, *Deut.* 13.14. Inquires (inquit DEVS) ídque in genere, primò [a] דרשת. Cujus duas species subjungit. Primam, [b] חקרת, id est, Investigabis, *indicia* nempè & *argumenta.* Secundam [c] שאלת, id est, interrogabis, testes nimirum, & qui rerum gestarum conscij fuerant.

[a] *Darashta.* [b] *Chakarta* [c] *Shaalta*

1 Argumenta. Sic IOSEPHO licuit manticas fratrum perscrutari, ut sublatum furto calicem depræhenderet. *Gen.* 44.5. Sic Magistratui nostro, ædium penetralia & recessus intimos, ad indicia sceleris eruenda.

2 Testimonia. Sic cautum est lege divinâ, *Lev.* 5.1. *Si vocem quis audierit adjurationis* (Paraphrastes autem *Chaldæus* legis interpres longè antiquissimus, necubi erretur à nobis, apposuit; nec dubium, quin de sensu veteris Ecclesiæ, etiam quæ ante CHRISTVM) *à Iudice facta vel delatæ; & ipse ejus rei testis esse posit, ut qui viderit ipse, sciverítque* (quo loco *sciverit* Septuaginta vertunt συνοιδε) *si quis ita conscius ad testimonium evocatus sit; ni indicârit, feret iniquitatem suam.* Quæstionem ergo habere licet, vel sub juramento.

Ac primò quidem, quæstionem habere de reo apud alios quantumvis fratres, quantumvis religiosos. Sic OBADIAS ELIÆ, 1. *Reg.* 18.10. *Non est provincia aut regni locus, quò non miserit* DOMINVS *meus quæsitum te, cúmque responderent; Non est apud nos; etiam ad juramentum adegit provinciam illam, quòd non invenissent te.* Ac mihi quidem verisimile fit; cùm toti regno commune hoc jusiurandum fuerit; etiam in religiosos illos incidisse, quorum nec genua BAALI curvata, nec ora ipsum osculata sunt: nec eos tamen hac in re (etsi in ELIÆ sui præjudicium, etsi apud Magistratum

tum iniquiorem) testimonium dicere detrectâsse. Neque verò de Reo tantùm apud alios habere quæstionem fas: sed & apud ipsum de se. Exemplo magni Iudicis in lite omnium primâ, *Gen 3. 9. Quis indicavit tibi, nudum esse te? Et, nunquid comedisti de fructu arboris interdicta? Sic Principes* BARVCHVM interrogant de libro *Ieremiæ: Indica nobis, quomodo scripseris verba hæc. Ier.*36.17. Sic ESRAS Reos ipsos de facto suo. *Esr.* 10. 11. sic Pontifices à PAVLO in custodiam dato, πυνθάνεσθαί τι ἀκριβέστερον, postulabant: *Act.* 23. 20. Fatiscunt enim sæpè accusatores (quod olim *Ethnicus* animadvertit:) non omnes possunt; nonnulli nolunt accusare. Quid agimus? Quorundam scelera, quia verè opera tenebrarum sunt, nec possunt prodi: *Ephe.* 5. 11. Quia *manus in manu est*, nec se volunt prodere; *Prov.* 16. 5. Quia durum est DOEGI nomen; & hoc ipsum, *prodire ad insimulandum quempiam*, frigidum atque odiosum jam: res sumptus, periculi, infamiæ, *Pro.* 25. 8. Sinimúsne latere & scatere scelera, & morâ vires acquirere, donec erumpant tandem ad perniciem Reipublicæ? An quia nemo aut potest, aut vult (perinde enim est, nolit quis accusare, an non possit) interrogare datum est? Datum est certè. Atqui absque sacramento interposito interrogare, pro nihilo est. Quare & adjurandi jus fecit. Quam vocem Spiritus sanctus in veteri * Testamento, per השביע exprimit, sicque MICHEAM rex adjuravit: in Novo per ἐξορκίζειν, sicque Pontifex CHRISTVM, *Matt.* 26. 63. & utrique religio fuit, ad quæsita non respondere. Ac de *Hebræa* quidem voce quæstio nulla, quin & vi nominis, & usu, juramentum deferat. Addo nec de Græcâ, si rectè vertant BEZA cæterique interpretes Dæmonis postulatum illud, quod est *Matt.* 5. 7. *Adjuro te, ne me torqueas:* id est, Confirma mihi jurejurando interposito, fore, vt ne me torqueas: ut illis videtur. Sed ego *adjurandi* vocem mitto. Sumo alteram, *levandi* super Reum ipsum, *juramenti* (si altera modò sit) id est, vel invitum ad juramentum adigendi, permissam in lege, vel Actori. *Exod.* 22. 8. 1. *Reg.* 8. 31. Ac proin, plus etiam quàm permissam, Magistratui. Certè enim periniquo loco res foret; si cuivis de plebe Actori, exigendi à Reo juramenti potestas

* 1. *Reg.* 22. 16.

foret; non foret Magiſtratui. Si in causâ depoſiti id liceret, in causâ regni non liceret: ſi adigi quis poſſet ad juramentum, non *extendiſſe ſe manum ad rem proximi ſui*; adigi non poſſet ad juramentum, non extendiſſe ſe manum ad pacem Reipublicæ: ſi potior illius ratio, quoad jus, qui *turbas dederit* in Eccleſia Dei, quàm illius qui *aliquid intervortit* de pecunia amici. Confer mihi hæc tantùm inter ſe, primò Magiſtratum ipſum, & Actorem de vulgo quemlibet. Pòſt, cauſam pecuniolæ cujuſdam, & cauſam Reipublicæ. Dein, *depoſitum* illud alicubi quandoque deprehendi poſſe; clandeſtina iſta colloquia non poſſe (niſi ſic interrogare detur) abire enim in auras, impreſſionem poſt ſe nullam relinquere. Aut valdè me fallit animus; aut (ſive perſonas ſpectes, ſive res, & rerum ſive momenta, ſive exitus) major hîc neceſſitas, major æquitas incumbit juramenti. Quare & interrogari eum in cauſa ſua, jus fáſque divinum eſt; & id interventu ſacramenti fieri, fas quoque. Atque hic juriſiurandi uſus poſterior, juſtus ac legitimus, non modò ut quæſtioni ſtatus fiat ex reſponſo Rei (quod ante poſitum eſt:) ſed etiam ut βεβαιώσεις quoque cauſæ, id eſt, probationum ſtatumina colligantur, quibus Iudici fides fiat, ad litem ex altera parte terminandam.

Poſſent hæc jam ſatis eſſe huic inſtituto; niſi quòd reſtet adhuc unus (credo) aut alter, vix dignus vindice nodus: niſi quòd (ut eſt hoc ſeculum noſtrum) quorundam hominum quivis ſcrupulus, ſcopulus eſt. Cauſantur adigi hoc pacto homines ad juſiurandum infinitum; niſi antè, quæſtionem habere; pòſt, juramentum deferre liceat. Ejuſce rei ratio jam ante à me reddita. Nolo jam hîc recoquere. Tantum id contendo; quòd defertur ijs, de more, juramentum, infinitatis nomine declinari non poſſe. Dum enim Ieremiæ illi, (qui ſemper in Theologia habiti ſunt juriſiurandi limites & quaſi fines) adhibeantur, *Ier.* 4. 2. In *veritate, juſtitia, judicio*, abundè ſatis circumſcriptum eſt; nec alios ſcriptura
1 fines aut agnoſcit, aut poſtulat. 1. *In veritate*, verè ſcilicet ne quid contrà quàm ſibi conſcius eſt, dejerare cogatur. Quomodo Micheæ delatum eſt. 1. *Reg.* 22. 16. *Ne eloquaris mihi niſi veritatem, in nomine* Domini: Aut

ſi cui magis PAVLINA placeat atteſtatio. *Rom. 9. 1. Veritatem dicam, per* CHRISTVM, *non mentiar, atteſtante mihi ſimul conſcientiâ meâ per ſpiritum Sanctum.* Sat à prima parte finitum eſt. 2. *In juſtitia,* juſtè ſcilicet; nempe ut, & de 2
poſſibili juretur, de quo cavit ſervus ABRAHÆ, *Gen. 24.* אולי לא־תאבה, id eſt, *Fortaſſe non dabitur.* Ethnici quoque ipſi: *De quibus ſciam poteróque.* Et de honeſto de quo caverunt illi, *Eſra 10. 3.* כתורה יעשה, id eſt, *prout forma juris exigit.* Divus PAVLVS quoque *Act. 23. 3. Secundùm id quod in lege eſt.* Sat à ſecunda parte finitum eſt. 3. *In judicio,* id eſt, maturè 3
(ſic enim diſtinguunt interpretes) ut ne temerè. De quo SALOMON *Eccl. 5. 1.* Ne proferens quid coram DEO, *accelerare ore cogatur*; ſed ſpatio ad deliberandum interpoſito, ita demùm reſpondere. Hij ſunt quos juramenti fines ſacræ literæ agnoſcunt, nec prætereà quicquam poſtulant, ut definitum ſit. Tres iſti ſi adhibeantur: 1. *Non loquar niſi veritatem in nomine* DOMINI. 2. *De quibus ſciam poteroque, & prout à me forma Iuris exigit.* 3. Sumpto tantùm ad cogitandum ſpatio: nullum ab infinitate periculum. Etſi de ſingulis quæſtiunculis non conſtet (quæ ſæpè è re naſcuntur) ſat tutus erit intra hos fines; non reſponſurus quicquam aut falsò aut temerè; nec niſi de ijs, quæ & ipſe meminerit, & lege teneatur; Nempe, quod citra juramentum facere tenetur, id faciet. Et qui tutior eſſe vult, mihi quidem infinitam potiùs licentiam captare velle, quàm infinitum juſiurandum declinare, videri ſolet: aut (ſcilicet) ſibi malè conſcius; aut illud quod dicere nolo.

Iam verò dum ne peccetur jurejurando, haud quicquam 2
credo intereſt, anténe promittas te dicturum juramento *promiſſorio*; an pòſt dejeres, te dixiſſe *aſſertorio.* Eodem redit; priuſquam reſpondeas, profitearis te id ſine fraude facturum, præmiſſo: an poſtquam reſpondiſti, atteſteris, te id ſine fraude feciſſe, ſubmiſſo juramento. Dixi quidem, & dicam; Feci, & faciam; duo ſunt tempora: juramentum idem eſt. Quare ad rem quidem, haud quicquam intereſſe puto: intereſſe tamen hoc, quod plurimum conducat hoc litibus; tum ut explicitæ ſint, tum ut expeditæ, ſi *omnium primò juretur.* Vt explicitæ; ne (ſi Reo prævaricari li-

 beat,

beat, cum nondum sacramento obstrictus sit) fluctuet lis tota, nec basin cardinémque consequatur. Vt expeditæ; ne (si nolit reus ubi respondit, in responsa jurare) easdem sæpé quæstiones iterare, atque ita actum agere, judex cogatur. Interesse denique quod in illa judicij formulâ, divinæ legi inprimis consentanea, & nostræ huic quæ in dubium vocatur quàm maximè affini: is ordo sit; *juramenti* primùm, dein, *quæstionis*: Idque ipsorum postulato de quibus habita est quæstio. Cùm enim de litibus expediendis accuratissimè divinâ lege caveatur; neque prior in scriptura mentio judicij, ut fiat; quàm ut *citò fiat*, ne si diu sit in *Fieri*, acetosum fiat: rectè postulant illi, *Esr.* 10. 13. ne sibi necesse sit pro tribunali ad omnia quæsita respondere: longum opus esse, nec unius diei. Quare post præstitum à se loco solenni solenne juramentum, venturos se pòst per otium, בעתים מזמנים id est, designatis temporibus: ut in singulas facti circumstantias, virtute priùs præstiti juramenti, inquiratur. Eadem nunc praxis apud nos; idem mos obtinet: & quidem sive consilium spectes, æquissimus; sive institutum, divino quàm simillimus. Nam si juramentum præcedere debeant quæstiones (cum nisi pro concessu jure-jurare quemquam nefas:) certè vix unus dies, uni causæ sufficiat, cogatúrque (quod IETHRO factum damnavit) *astare iudicio populus à manè usque ad vesperam.*

Esra.10.5.

Exod.18.14.

Ultimum id est: quod quidam (vitio mentis proculdubio) deferri sibi postulant: ne in emissum à se jusiurandum, inquiratur: Idque PAVLINÆ sententiæ fiducia; *Cujusque contradictionis terminus, juramentum.* Mitto, quòd id ita interpretari liceat, ut πέρας illud *status* potiùs sit, quàm exitus controversiæ. Verùm, ne liceat; sed esto sanè. sit terminus juramentum; at non qualecunque tamen, aut à quocunque, quomodocunque præstitum (vix hoc sani cerebri postulatum:) verùm ejusmodi (spero) ut de ejus fide nulla sit contradictio; si modo contradictio per illud terminari debeat. Quare si litem sine contradictione terminare debet; ita liquidum esse debet, ut ei nemo vel citra examen, vel pòst, aut velit, aut possit contradicere. Iusiurandum enim quodvis cujusvis, omni inquisitione liberare velle; quid aliud

Heb.6.16.

liud eſt quàm perjurij cauſam agere? quid aliud, quàm quaſi ſigno dato, ita authoramento hoc; profligatæ fidei homines, ad ſcelus hoc ſollicitare? Cum enim ſive id Actor, ſive Reus, ſeu teſtis præſtet; eadem juramenti religio, idem valor ſit: actum eſt, ſi quis jurare in litem velit, ſtatim cauſam obtineat, pòſt autem, recténe juratum an ſecus, inquirere nefas: Quippe *juſiurandum omnis controverſiæ terminus.* Iſthuc quidem ſi ſic detur, perjuris benè ſit; Cum DEO tranſigant ſi poſſint; certè à lege nihil metuant, nec aure luant, quod ore peccârunt. Quanto id æquius? Imò verò ſi bonæ fidei eſt juſiurandum; bis, térve, inquiratur; vel ſepties, ſi libet. ſemper quaſi de fornace, liquidum magis, purúmque exibit: ipſaque ſemper inquiſitio, uberioris fidei acquiſitio futura eſt. Sin non bonæ, vel dubiæ fidei ſit, vel ſuſpectæ: inquiratur, & tum; quò *injuſta vincula rumpat juſtitia.* Ratio quidem hæc, ratió-ne ſola? Nónne & lex eadem dicit? Sive quis in ſuâ cauſâ pro ſe, ſeu in alienâ contra alium, ſacramento contendat. Pro ſe: ſuſpectæ pudicitiæ mulier cum ejuraſſet adulterium dirâ execratione ſui ipſius: nunquid dimiſſa ſtatim? (*finis námque omnis controverſiæ juſiurandum*:) imo vero recténe jurata an ſecus, quæſtio nova. Cui rei, ebibendas habuit aquas amaras, juramenti ſui, vel veri indices, vel falſi vindices futuras, Num. 5. 24.

Contra alium. Cum enim ſtatam rem fore caviſſet lex ex ore duorum triúmve teſtium, qui jurati teſtimonium dixiſſent in quempiam, *Deut.* 19. 16. ne quis humana teſtimonia quaſi divina oracula haberet; proximo verſu edicit, ſiſti tamen poſſe denuò teſtem ſuſpectum; & inquiri adeò, an caſtè integréque verſatus fuerit in teſtimonio ferendo: ſin falſi convictus fuerit, eodem prorſus ſupplicio afficiendum fore, quo fuerat is, quem reum peregerat. Sed ego peccem in tempus, etiam in templum quoque (cujus nos jampridem vox avocavit) ſi ulteriùs inſecter haſce ineptias, quas quivis cum volet, obterere poterit argumentis, ita ſuà ſponte diffluunt. Reddo igitur vos vobis, & concludo.

Si (ut ait Propheta) diſponatur judicium hoc (quo utimur) ad lineam; & iuſtitia hæc ad perpendiculũ verbi divini, nuſ- *Eſ.* 28. 17.

quam

quam in ijs peccari: Exigere posse magistratum, idque à Reo, (præsertim dum ne capitalis causa sit, aut sanguinaria) jusiurandum suum: idque eousque posse, sive ut lis basin suam obtineat, dum status quæritur: sive ut probationum veritas elucescat, dum quæstio habetur. Neque verò juramenti aut fines, aut ordinem, aut examen peccare in Theologiam: ac proin detrectare non posse. Qui detrectant; primùm inscitiâ divini juris id facere: periculoso dein exemplo, si sic liceat animi gratiâ, in judicia publica, sine judicio inquirere; si cæteras regni rês, momentáque reipublicæ; denique jus ipsum (si pro nobis non faciat,) in jus vocare. Quod avertat à nobis DEUS Opt. Max. ad quem conversi precemur, uti det nobis *modestè sapere, & sentire in omnibus*, cernere animis quàm non religiosum sit, quàm non Christianum, inclinare judicia gentis nostræ: quin ea potiùs quæ remp. nósque omnes sustentant, omni conatu nostro, omnibus ingenij nervis ac viribus sustentare. Proximè enim post DEUM, Deíque cultum; verissimum est Job 36.17. ELIHU verbum: Duo hæc, *Iustitiam ac Iudicium, sustentare omnia.*

*Atque ita determinata mihi sit lis ista, atque utinam etiam terminata.*


*FINIS.*

# DE VSVRIS, THEOLOGICA DETERMINATIO, HABITA IN PVBLICA SCHOLA THEOLOGICA Cantabrigiæ.

Per LANCELOTVM ANDREVVES
S. Theologiæ Doctorem.




*LONDINI,*
Excudebat *Felix Kyngston* pro *R. B.*
& *Andræa Hebb.* 1629.



# *USURÆ Legitimæ* ſunt *illicitæ.*



QVerela duplex: *Tranſmarina* primùm una, Illius qui præfatus eſt in *Perſecutiones Anglicanas*, vbi *Theologiam* noſtram avaram eſſe criminatur, & *fæneratoriam*, eóque nomine *infeſtam Reipublicæ.*

Altera *domi* nata nuper, Eſſe genus hominum *Eccleſiæ* errata omnia ad *culices* uſque ſedulò excolantium; ad *Politiæ* verò ulcera, ad *fænebre* malum, ad *agros compaſcuos* in *conſepta* mutandos, ad ejus generis alia gravia, & (ſi per vos dicere liceat, dicam) *Camelina* peccata ultrò conniventium.

Gemina (inquam) hæc (*hoſtis* primum, dein *fratris*) *querela* dolorem mihi expreſſit, dolor expreſſit quæſtiones haſce quas accepiſtis (*Ornatiſſimi doctiſſimíque Viri.*) Vtrique ut fiat ſatis, & ſciat *ille*, (utrunque ſint de *Theologis* noſtris nonnulli, quibus totum hoc *fænerari* non diſplicet;) *Scholam* tamen noſtram *Chiragræ* hujus cauſam non fuiſſe; neque anguſtiora hominum viſcera, neque reſtrictiores manus reddidiſſe: ſciat hic, fructum aliquem fuiſſe *querelæ* ſuæ, neſcio quàm veræ, ſed ſi veræ, verè ex animo dolendæ: tùm ut ſi qui hic ſunt qui contra ſentiunt, contradicant.

De gratìs & ſine *fænore mutuando* propoſui ſic ut audiviſtis, & de *Compaſcuo jure* pauperibus conſervando; non id quidem opinor intempeſtivè, hijs præſertim moribus, atque hijs temporibus, quibus ita valdè *refrixit charitas*, ut ei nihil opus ſit, per illiuſmodi *Theoremata frigidam* ſuffundere.

utcunq;

Dicturus autem de re *fœnebri*, principio faciam, ut quemadmodum jam modò sensum meum, ita sensum etiam quæstionis meæ cognoscatis.

*Usuras* cum dico, hoc dico; *Pactum ex mutuo lucrum.* Tria hæc, [1] *Mutuum*, [2] *Lucrum*, [3] *Pactum*, vim omnem *fœnoris* apposité circumscribunt.

*Mutuum*, ne *Locationi* locum non reliquisse: *Lucrum*, ne de *damno, dote, detentione*, non cogitâsse. *Pactum*, ne ἀντίδωρα,[a] sustulisse videar.

(a remunerationis.) es.

*Legitimas* cùm dico, id volo, *Lege fœnebri* permissas, quâcunque demum *lege* cujuscunque Nationis: ut *legitimæ* sunt hîc apud nos *Decunses usurarum*; in *Galliâ, Besses*; in *Germaniâ, Semisses*; apud *Græcos veteres, Drachmales*; apud *Romanos, Centesimæ*. Addo illud etiam quocunque sive *Interesse*, sive ἀντιχρήσεως,[b] sive *emptionis* sub pacto *revendendi*, sive *collybi*, sive *credentiæ* fuco medicatas.

(b mutui usus,)

*Illicitas* cum dico, quàm vultis latè intelligite. Animus enim est, si succedat, id docere: Eas *Scripturis* utriusque *Fœderis Ecclesiæ* praxi, *Patrum* sententiæ, *Theologorum* tum *veterum responsis*, tum *judicijs* etiam *recentiorum Consiliorum, Canonibus, Tergemino Iuri, Historiarum* monumentis, *Philosophorum* Decretis, *Rationum* momentis, *Experientiæ* denique ipsi contravenire. Isthuc igitur agamus.

Ejus *quod licet*, apud *Christianos*, Regula duplex; [1] *Iustitiæ* altera, [2] altera *Charitatis*: In utramque committit *usura*. *Iustitiæ* gnomon primò *præceptum*, dein *præcepti ratio*: utrobique damnatur *usura*.

*Præceptum* apud *Theologos*, cum Verbo DEI confunditur: τῶν δὲ λόγων ὁ νόμος ἰσχυρότατος. *Potentissimum verbum* Lex. Inde igitur, à *Lege* (si placet) ordiamur.

Diserta sunt *Legis* verba, canora satis, *Fœnus* prohibentia. לא תשיך לאחיך נשך כל דבר [e] לא תקח מאתו לא תתן לו [d] לא תהיה לו כנשה [c]. Tantùm in hoc scirpo nodum geminum quæsivit *avaritia*; quæsivit & reperit. 1. Alter est ἔτυμον vocis נשך: 2. Alter expressa mentio *pauperis*. Expediam utrunque paucis.

Lev 25.

Exod. 22. 25. Lev. 25. 36 37. Deut. 23. 19. (c Non eris illi tanquam exactor.) (d Non accipies ab illo--non dabis illi.) (e Non fœnerabis fratri tuo ad usuram quamlibet rem.)

Prohibetur *fœnus* (inquiunt,) sed נשך *Neshec* autem est à verbo

verbo quod *morſum* deſignat: ergo, niſi *incivile fœnus* ſit, niſi *dentatum*, niſi *mordax*, *Lege* de eo cautum non eſt. Et huic reſponſo MOLINÆUS ſcilicet acclamat, *pulchrè, emphaticè, abſolutiſſimè.*

2 Puto, hijs hominibus, in mentem non venire GALENI illud receptum jamdiu in Scholis, Ἐτυμολογία μάρτυς ἀλάζων,[f] qui tantum tribuunt vocis notationi: Ne periculum quidem cogitare, quantas turbas dare liceret in *Theologiâ*, ſi unumquamque *Legis* voculam לא תרצח לא תנאף לא תגנב[g] in manus ſumere daretur: dein negare negata ijs, præceptis, quæ ad ſtrictum vocis ἔτυμον quadrare non poſſent. Quare reſponſio hæc illorum, ſive vim loci reſpicias, infirma eſt; ſive exemplum, periculoſa.

(f Derivatio teſtis fallax.)

*Exod.* 20.13, 14, 15.

(g Non occides, non mœchaberis non furtum facies.)

3 Poterant hæc ſatis eſſe: addo tertium. Omnes *Uſuras*, etiam *legitimas*, plus minus *mordere*. *Præfocantes* illas quidem altius dentem imprimere, inſtar *lupi matutini*; ſed & *modificatus* haſce ξυρεῖν ἐν χρῷ, (quod Græco proverbio dicitur) *cutem perſtringere*, elicere etiàm nonnihil *ſanguinis*, inſtar *cynomyiæ*; quorum utrique *morſus* in *Scripturis* attribuitur. Non æquè quidem omnis *fœnoris* metuendos eſſe *dentes*; ſed nullum *fœnus* eſſe edentulum.

4 Deinde (quod quartum eſt;) venire reſponſionem hanc contra ipſius *Legis* principium, כמוך *Sicut teipſum*. *Mala* enim hæc *regula*; *dum ne mordeat, fiat*: *Mala* (inquam) & *Phariſaïca*. *Chriſtiana* illa, *Fiat, dum proſit*; *Fiat dum conducat*: Nam *mordeat* necne non refert, ſi germanam *juſtitiam* quærimus; *proſit* necne, illud refert.

5 Poſtremò, ut cedamus de hijs omnibus; הרבית illi, quod non ſolùm apud *Prophetam*, ſed in ipſâ quoque *Lege* adjicitur (& quidem, ut KIMCHI decernit, ἐξηγητικῶς;) *Tarbith* (inquam illi bene ſit: illud rem totam conficit. Ea vox, ſive à quo reſpicias, ſive ad quid ſumatur, perinde eſt; impoſturas nullas admittit; *fœneratores* arctiſſimè conſtringit; rem (ut antè dixi,) totam conficit. CALVINO (illuſtri Viro, nec unquam ſine ſummi honoris præfatione nominando) non aſſentior, dum *fœnori* non omnino malè vult, nec vocem hanc effugit, captioſas neſcio quas lucrandi artes, EZECHIELIS ſæculo, & novum nomen idem omnino valens,

lens, cum abijsset in odium vox *Neshech,* à populo excogitatum autumat.

Atqui eadem, in *Lege,* vox; cum de deserto, nimis violentum sit idem hoc affirmare. In *Ægypto* enim dura eorum conditio excludit suspicionem omnem, usque adeo *fœnori* exercendo incubuisse, ut propter veteris invidiam, nova illis nomina fingenda essent. Eadem *Castrorum* conditio prorsus & *Eremi.*

Postremò *Interpretes* omnes adversantur. *Chaldæus,* ܪܒܝܬܐ à רבי; *crevit. Rabbini* רבית, mollissimo nomine; sic enim U*suras* ipsi suas, leviter immutatâ Vocali, cum honestissimè nominare volunt, nominare solent. *Arabs* ربا, quod supra sortem accipitur. *Persa* [illegible] *accessionem. Septuaginta duo,* eosque sequuti BASILIVS, NYSSENVS, NAZIANZENVS, πλεονασμὸν: quam vocem BALSAMON NYSSENI *Scholiastes,* homo *Græcus,* sic interpretatur, *Cum dat quis quidpiam, ut plus quàm dederit accipiat.* TERTVLLIANVS *Lib. IV.* contra *Marcionem, redundantiam* fœnoris. HIERONYMVS, *amplius;* ac HIERONYMVM VATABLVS sequitur. PAGNINVS, ac cum eo reliqui, *incrementum.* Et sanè vocis tum natura, tum usus favet. Quàm vocem nisi de *Lege* transverso stylo tollere liceat nunquam efficient, ut liceat *fœnerari,* ne *legitimè* quidem. Et enim, & *decunx usurarum* תרבית est, & *bes,* & *semis,* & *triens,* humana quidem lege *Legitimæ, divinâ* & *illegitimæ* & *illicitæ,* quia expressis in *Lege* verbis interdictæ.

Atenim *Exodi vicesimo secundo,* & *Levitici vicesimo quinto,* mentio fit *pauperis:* quare dum ne illis *fœneremur,* in tuto res est. Hîc jam nodus alter est, sed facilè solvitur. Locos duos narrant, tertium nolunt, *Deuteronomij vicesimo tertio,* ubi absolutè fertur *Lex* absque ullâ *pauperis* mentione. Atqui (inquiunt) is locus ex prioribus intelligendus. Præposterè hoc: posteriores enim libri ideo ferè scripti, ut priorum interpretes essent. Sed esto.

Loco *Exodi,* posteriùs ponitur העני [i] particulare priùs את עמי [k] generale. Imò העני (aiunt) ἐξήγησις est prioris. Alius non daret: verùm

(i pauperi)
(k populo meo)

verùm enim, ne difficiles ſimus, hoc habeant. Ideo enim ſubjunxit *pauperum* mentionem, quòd de illis cura major, cùm ij frequentes ſint in *mutuo*.

De *divitibus* veriſimile minùs fuit: quare ut prudens *Legiſlator, Præceptum* ad *hypotheſes* εἰς τὰ πλεῖστα temperavit.

Ac genuinum hunc hujus loci ſenſum eſſe, idemque Mosi placuiſſe, quod PLATONI; (ne quiſquam è propinquo aquam peteret, niſi fodiſſet ipſe priùs [c] ἄχρι τῆς κεραμίτιδος;) (c ad cretam uſque) id evincit, quòd ubi *Lex* fertur de *mutuo*, Deut. XV. verſ. VII. *Perſonam* ibi ponit [d] כי יהיה בך אביון; (d Cum fuerit apud te pauper.) *Modum* verò [e] די מחסרו אשר יחסר לו (e Quod ſatis ſit penuriæ ejus quâ laborat.) Ac verbis diverſis ſenſum non diverſum quàm PLATO complexus eſt. Ideo ergo nominatur *pauper*, quia frequentior in hoc negotio; ideo ſiletur *dives*, quia rarior: Non ideo nominatur *ille*, ut *immunis* ſit, ſiletur *hic*, ut *obnoxius*.

Quæro etenim, quæ tandem aut qualis hæc conſequentia? *Lex* intercedit, ne à *paupere fœnus* exigatur; permittit ergò, ut à *divite*. Vultis agnoſcere? *Similes aliquot* opponam. *Exodi XXII. Ver. II. Lex* intercedit, ne *Viduæ* aut *Pupilli* duriùs habeantur. Concluſio ſimilis: Permittit igitur, ut duriùs habere liceat, quibus *Pater* eſt aut *maritus*. *Deuteronomij XXVII. Ver. XVIII. Lex* interdicit, Ne quis *cæcum* de *Semitâ aberrare* ſinat. Similis concluſio: Permittit igitur, ut ne quis *oculato* homini monſtret *viam*. *Deuteronomij XXIV. Verſu XIV.* Cavet *Lex*, ne qui *conductus* fuit, ſi *pauper* ſit, *mercede privetur*. Similis conſequentia: Ergo ſi paulò magis *rem fecit*, non valdè repugnat ut *privetur*.

Verum enim Locus ille quem ſupra nominavi de *mutuo peſſimè* eos habet, *Deuteronomij XV. Verſu VII.* Edicit *Lex*, ut *mutuo* det quiſque; apponit כי יהיה בך אביון Si *pauper fuerit*. Concludo ſic ut illi: *Soli* ergò *pauperi mutuandum*. Agnoſcunt (Spero) Concluſionem ſuam. Vetat *Lex* ne *pauperi fœneremus*: Ergo ſoli *pauperi non fœnerandum*.

Quòd ſi *Soli pauperi mutuari* liceat, (& *Soli* ſanè licet, ſi ſic licet concludere;) *pauperi* autem impoſitum *fœnus*, vel illis quidem arbitris, ſit *illicitum*, cum jam *ſoli pauperi mutuari* liceat, omne igitur *fœnus* erit *illicitum*.

Accedam adhuc proprius. Rationem quæro, cur, cum *pauperi* nefas ſit, fas ſit *Opulento* dare *fœnori*?

Cum

Cum summam fecerint cogitationum suarum, non aliam sanè reperient quàm hanc, *Quia divitiis acervus major*: Et certè (quod mihi *monstri* simile fit;) CALVINUS sic loquitur; *Est dulior; & potest absque damno carere.* Quæso vos nonne, hoc est *latronum* causam agere? Annon eadem pro *fure* ratio faciat, quæ pro *fæneratore?* Nonne sic illi secum: *Pauperi* parcendum sanè; atenim *pecuniosus* is homo est, *carere* potest, vel *absque detrimento*: Atqui sit *pauper*, sit *dives*, *furtum* de se *illicitum* est. Etiam *fænus*, ô bone; nempè *rapinæ* Species: & rectè illud quispiam *Terrestrem piraticam* appellavit. Neutrum tamen propter *acervos*, sive *minores* illi sint, sive *grandiusculi*; sed propter illa *Legis* verba quæ tam *fænori* quàm *furto* funesta sunt. *Neque omnia quæ illius sunt.* Atqui *illius* sunt, quæcunque *illius* industriâ parta sunt uti, mox dicemus. *Comedendi* enim *cuique labores manuum suarum.* Nihil addo.

Exod. 20. 17.

Iam videtis (Spero) neque *Neshech*, neque mentionem *pauperis* impedire, quò minùs *Lex* sit κατὰ παντὸς, id est, *Usuras* omnes, sive *civiles*, sive *inciviles*, sive ab *imæ* conditionis homine exactas, sive *summæ*, pro *illicitis* damnatas esse.

Adhuc *Legem* urgeo. Tria siquidem in *Lege* sunt: 1 *Interdictum*, 2 *Censura*, 3 *Sanctio*. Dictum jam de *interdicto*: *Censura Legis* proxima; id est, ubi, quâ classe, inter quæ scelera, crimen quodque collocandum; quantum, quanti habendum, quàm vel graue vel leve crimen, quodque æstimandum sit. Ac in *Scripturis* quidem, (quæ semper SAULEM *inter Prophetas* admirari solent,) *Usurarum* tristis & severa taxatio est. EZECHIEL namque *Divini juris consultissimus Versu VIII. Capitis XVIII.* mediam in *colluviem* gravissimorum *scelerum*, omne ex *mutuo incrementum* conjicit & (ut loquitur BASILIUS) ἐν μεγίστοις κακοῖς τίθησι [f] *Idololatriæ, adulterij, impuritatis, violentiæ, furti*, & affigit ad caput ejus tristissimum nomen תועבה id est, *abominandi sceleris*; ut, quid de eo sentiendum, cuivis in proclive sit.

([f] malorum maximis annumeratur.)

*Sanctio* porrò succedit huic, eáque gemina: 1 Altera hujus vitæ; 2 futuræ, altera. 1 Hujus (*Proverb. XXVIII.*

*ver.*

*ver. VIII.*) *Translatio ad hæredes alios, injustæ possessionis* argumentum. Ideo autem *injusta possessio*, quia *injustè parta.* 2. Futuræ: *Maledictio* DEI, *Psalmo XV. ver. V. Divo* AMBROSIO Syllogismum colligente: *Si ergo, qui non dedit, benedictus; sine dubio maledictus, qui ad usuram dedit.* Sin, quia *Neshecb* ibi tantùm est, minùs placeat locus ille, revocabo huc EZECHIELIS idem *Caput, versum XIII.* ubi omnia explicata satis: *Dedit in usuram & incrementum accepit; Hiccine viveret? Non vivet: abominationem hanc fecit, omnino morte morietur; Sanguis ipsius super ipsum.*

Ac *Lege* quidem transacta res est. Ad *Legis rationem* venio, quod sum secundo loco pollicitus. *Contractuum* autem 2
*legitimorum ratio*, ac *Regula* generalis commodè à *Divo* PAVLO explicatur, posterioris ad *Corinth. Cap. VIII. Vers. XIIII.* Ὅπως γένηται ἰσότης: *Æqualitas* scilicet, ab ipsis quoque Ethnicis, *Iustitiæ fons* appellata. Ea verò vel interna est *animi*, vel *rerum* ipsarum, extrinsecus religata.

Συμμετρίαν *animi* in eo ponit CHRISTVS (Paternæ Legis ac voluntatis fidelissimus Interpres) *Si prout volumus ut faciant nobis homines, ipsi illis etiam similiter faciamus.*

Assumo jam: Nemo sibi vellet *usuras* infligi, ne *legitimas* quidem; quin *minimas* potius quàm *majores*, & *nullas* potius quàm *ullas.* Cum *fratre* sic agat igitur: Vigeat *Lex* ista; *usura* pereat. Reperi mendaces homines, mendaces sine fronte, qui sese hoc valdè velle dixerunt. Ego verò jubeo silere illos, aut saltem quærere qui credat. Fidem mihi nunquam facturi, ne jurati quidem, Esse quenquam tam infœlici genio, qui pecuniam *fœnebrem* malit quàm *gratuitam, gravidam* quàm *illibatam, mersam usuris* quàm *levatam.*

Ac in *animo* quidem sic. *Rebus* autem in ipsis, *æquilibrium* multis modis violatur. Nam cum ita demum *conservetur æqualitas*, (juvat uti PAVLINIS vocibus;) si ὑστέρημα semper sit aliquod, ubi περίσσευμα est; In *usuris*, *fœnus* ipsum quidem περίσσευμα est, ὑστέρημα verò planè nullum. Etenim ex ijs tribus, quæ jampridem recepta sunt, *contractuum* ὑστερήματι, 1 *Labore*, 2 *Sumptu*, 3 *Periculo*, *fœneratori* nullum incumbit. 1 Non *labor*: quippe stanti, sedẽti, res alias agenti, ferianti, vigilanti, dor-

 mienti,

mienti, currunt menses, (quos scitè BASILIVS τόκων πατέρας appellat,) currunt ex æquo cum mensibus *usuræ*. 2. *Sumptus* nullus; ne teruncij quidem. 3. *Periculum* omnino nullum: quin si perit sors, *debitori* soli perit; *creditori* certa est. Satis ei per stipulationes, syngraphas, antapochas, apochas, vades, prædes, prædia, hypothecas, pignora, consultum est. Vbinam ergo, aut quodnam est in *fœnore* ὑστέρημα? cum omnino nullum in totâ *Iurisprudentiâ lucrum* sit, cui trium horum aliquod individuè conjunctum non sit. Nominabunt (scio) *detrimentum: Detrimentum?* quod? illud ex *damnóne* per *moram dato?* Resarciatur necesse est, idque ex illâ *Apostoli* regulâ, Μὴ ὡς ἄλλοις μὲν ἄνεσις, ὑμῖν δὲ θλῖψις, Non ut alijs *relaxatio* sit, vobis autem *angustia*: Omnino dum ne *lucrum* captetur, *damnum* vitetur. Imò verò dicent, ex *lucro cessante*, nomine *Inter-usurij*. Auditisne? hoc est quod pensari volunt, *Possibile lucrum* quod non acquiritur. Pensabitur verò *possibile lucrum* quod non *acquiritur*, *possibili damno* quod non *incurritur*. Quin potius (inquient) inscribemus illi prætereà *decunces legitimas*. Videte, quàm iniquè: pro ὑστερήματι simplice, πλεόνασμα duplex; id est, pro nullo, unum postulare: tum ex incertâ negotiatione certum lucrum captare, & (quod vel TERENTIANVS *Leno* damnaret,) *injustitiæ spem pretio vendere*. Id etsi obscurius jam sit, quia *dies debitori* dicitur; repræsentetur tamen *fœnus*, *injuria* apparebit, cum utrobique tamen par eadémque ratio sit. Certè id *ratio* decernit, nec *ratio* modò, sed *Lex* ipsa quoque, ut ei demum soli res *quæstuosa* sit, cujus solius *periculo* est. Quare hujus primùm injuriæ reus esto *fœnerator*, quòd πλεόνασμα διὰ ὑστερήματος, id est, *compendium sine dispendio*, *emolumentum* quærat sine *detrimento*.

Modus hic alter est. Esse *res* quasdam, quæ *mensurâ* scilicet & *quantitate* constent: earum autem è numero *pecuniæ* sunt, quarum *usus* in *pretium* venire non *debeat*: venire autem non *debeat*, eò quòd à *proprietate separari* nequeat: *Separari* autem nequeat, ob eam causam, quia nulli, sine *interitu* suo, *usui* esse possunt. Esse verò *usui* non possunt, quia nulli, nisi ad *consumendum*, *usui* sunt; nec *usus* ab ijs unquam ullus percipiatur, nisi in ipso *usu*, *Substantia* corrumpatur. Advertistis (scio) quid velim. Iniquissimè mecum ageret, qui, ubi

ubi mihi *panes* aliquot *mutuos* dedisset, *precium* pòst primò *panum* ipsorum repeteret, id est, *proprietatis*; deinde *usûs* quoque *precium*, id est, *manducationis*.

Dixi *nummos* in hoc *rerum* genere *censendos*: dixi è *Levitici XXV. Vers. XXXVII.* Vbi כסף & אכל, *Nummus* & *cibus*, tanquam homogeneæ res, eadem clausulâ connectuntur. Dixi ex *Nehemiæ V. ver. XI.* ubi *centesimæ pecuniæ*, *frumenti*, *musti*, *olei*, pari naturâ censentur, pari injuriâ malè parta, pari jure restitui jubentur. Quanquam id cuique sensus suggerat, quod ait *Iurisconsultus*, *pecuniam usu* ipso, & assiduâ permutatione quodammodo *extingui*; non id prorsus quidem, sed DOMINO tamen *extingui*. Hujus ergo secundæ injuriæ reus estò *fænerator*; quòd eo de genere rerum *fructum* captet, unde nisi *fructus injuriæ*, percipi nullus possit.

Modus hic tertius est: Quòd cum severissimâ *lege* cautum sit, de *mensurâ justâ* & *æquali*, *Levitici XIX. ver. XXXVI*: Mensura autem *permutationum* sit *pecunia*, uni huic rei ab ortu destinata: tam sit *æqualitati* rerum iniquus *fænerator*, ut & *mensuram* ipsam, unde *æqualitas* omnis est, *inæqualem* efficiat. Etenim quæ (in rebus *permutandis*) *pecunia centum* valet minas, cujusque *precium* (ut mensuræ) debuit esse *statarium*; *fæneratori* gravior est, ei *centum* pendit & *decem*; *debitori* levior, pendit enim tantùm *nonaginta*: *lapis & lapis*, *valor & valor*. Quare id agunt *usuræ* vel *legitimæ*, ὅπως μὴ γίνηται ἰσότης: Quare ut ante *Legi*, ita nunc *rationi Legis* contraveniunt: Quare in eis *justitia* nulla.

Quid *Charitas*? Ecqua illius spes, vbi *justitia* deficit? Adhibeamus tamen examen *Charitatis*.

*Charitas* DEVM spectat, & *homines*; spectemus in utroque. Neutri *fænerator*, neutrà *fæneratori* favet *charitas*. Si germana est, *Cælo* primùm descendit, quando (ut rectè GREGORIVS) *Rivus Charitatis*, *pietatis de fonte ducendus*. DEO ut sua constet *charitas* è *commercijs* nostris, permagni interesse arbitror, si *Providentiam Divinam* plurimùm suâ interesse, non persuasum modò cuique eorum, sed etiam exploratum sit. Expedit ita se rem habere, vt non modò indi-

geant, sed & sentiant indigere se *Divinâ Providentiâ*: Ita namque ἀγαθοποιῶν οὐρανόθεν δίδους ὑετοὺς καὶ καιροὺς καρποφόρους [m] amabitur; iratus & contraria dans placabitur: illinc ad Eum gratiæ; preces, hinc; fidei uterque & charitatis fructus redundabit. Hîc jam *fænus* (uti nostis) id agit, ne necesse habeat *cælo debere rem suam*, neque aut quicquam de *cælo sperare*, aut unquam in *cælum suspirare*. *Sudum* enim sit, an *tempestas*, perinde illi est; *faciat* rem *debitor*, *ne faciat*, susque deque habet; veniat *flagellum inundantis*, non obveniet illi: In eo namque totus est, ut possit eximere se totum DEI manibus, & penitus extra jactum *providentiæ*, se suáque collocare. Quod quid aliud est, quàm *turrim* ædificare sibi *fastigio nubes superantem*, ac tum (quod non malè) dixit *Poëta* ἄθεος *animum exsolvere nodo Religionis*.

([m] Cœlestis benefactor, qui dat pluvias & tempestates fructi-feras.)

Olim hoc quidem *Ethnicus* advertit animo, *Nullum, de* DEO, *hominum genus sentire pejus, quàm Danistarum*. Cœlo igitur inimica *fœneratorum* gens; *terram* solùm sapit: Quare descendamus.

*Charitas* ad *proximum* conversa, *bonum* respicit vel *privatum* illius, vel *publicum*: *Usura* neutrum. *Charitatis* in privatos Canon est, (*Prioris ad Corinth. Cap. X. ver. XXIV.*) Ζητείτω ἕκαστος τὰ τοῦ ἑτέρου. Quæritne *danista quæ alterius*? Certè *quærit*: Quærit enim ex *alieno periculo fiduciam*, *sumptu mercedem*, *labore otium*, & (quo nihil *iniquius* putavit FABIUS) *Sub eâ arbore fructus legit, quam consevit alius*: & (contrà quàm PAULUS, *prioris ad Corinth. Cap. III. ver. VIII.*) ἴδιον μισθὸν [n] quærit, sed κατ' ἀλλότριον [o] non κατ' ἴδιον κόπον. Ergo addamus partem alteram, οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτοῦ. [p] Nonne quæ *Sua* sunt, quærit? Maximè. Nec id tantùm: Quærit enim *se* in *fratre*, & *lucrum suum* in *lucro fraterno*: Semper *certum* in *incerto*, sæpè *magnum* in *exiguo*, nonnunquam *aliquid* in *nullo*. Neque rem *fratris* quæreret, nisi in eâ *suam* inveniret, neque oneris partem ullam ferret, nisi onus aliud imponeret.

([n] propriam mercedem,) ([o] secundum alienum,) ([p] secundum proprium laborem.)

Ab hoc aditu januáque patefactâ, aliud se statim, & quidem *fænori* capitale argumentum, in conspectum dat. *Actum* quippe *virtutis*, ut *Schola* loquitur, (quod *vitij* solius proprium est) corrumpit, dum *Liberalitatem Charitatis* partem primariam; *Liberalitatem* (inquam) cujus duo hij *actus* sunt

DC-

peculiares, [1] *Dare gratis*, [2] *Dare mutuo*, inſcribit, atque ita invertit in *cauponam*.

De *mutui* naturâ eſt, ut ſit *gratuitum*: Bis iſta conjunxit SPIRITVS SANCTVS חונן ומלוה [1] *Pſalmo XXXVII, ver. XXVI*, [2] & *Pſalmo CXII. ver. V.* Ad quam affinitatem חן *gratuiti*, & מלוה *mutui*, reſpexit CHRISTVS, quando (LVCÆ *Cap. VI. ver. XXXV.*) cum ſuo δανείζειν connectit μηδὲν ἀπελπίζειν. Quem locum, qui de *jacturâ Sortis* exponunt, eâdem operâ expungerent δανείζετε, ſubſtituerent δότε, eò quod, niſi redeat *ſors*, δώρημα jam ſit, & non δάνεισμα. Quanquam ne ſic quidem in rem noſtram cederet incommodè. Etenim ſi *Chriſtiani mutui* ea vis ſit, ut ne *ſors* quidem ipſa poſſit; nedum & *ſors* & *fœnus* expectari; ac multò adhuc minùs *Chirographo*, & *fidejuſſione* per *jus* occupari. Verùm lis iſta aliam in litem incurrit: Non proſequor.

Illud proſequor; & argumentum mihi proximum ſit: Perhibet eodem loco CHRISTVS (*Ver. XXXIV.*) teſtimonium hoc vel ipſis *peccatoribus*, καὶ γὰρ ἁμαρτωλοὶ ἁμαρτωλοῖς δανείζουσιν ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα. [q] Ratio ſtatim dictat; Quis pudor eſt, quod *peccatores* faciunt, *Chriſtianos* non facere, cum noſtra tamen illorum *juſtitiam juſtitia* ſuperare debeat? At nos miſeri eâ jam conditione ſumus, ut ad illud CHRISTI ποία χάρις; reſpondere poſſimus, μηδὲν, quando non *mutuemur* jam, niſi ut τὰ ἄνισα, adeóque τὰ μείζω recipiamus, atque ita citra infráque vel *peccatores* ipſos conſiſtimus. *Privatam* itaque *charitatem cauponantur uſuræ*.

([q] nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant æqualia,

*Publicam* quid? Nam id ſi rectè dicatur, Μὴ ὡς ἄλλοις μὲν ἄνεσις, ὑμῖν δὲ θλῖψις: rectiùs hoc, Μὴ ὡς ἄλλοις μὲν ἄνεσις, τῇ πολιτείᾳ ἡ θλῖψις.

*Publicam* (inquam) quid? Nihil minus. Statuit initio ille *Theologiam fœneri* amicam, *Reipublicæ* inimicam: rectè ſtatuit. Etenim & *rectè, inſtitutæ Reipublicæ ſignum*, ſi tollatur, *Pſal. LXXII. ver. XIV.* & *corruptæ Reipublicæ ſignum* ponitur, niſi tollatur, *Pſalmo LV. ver. XII.* Et illæ *olei, frumenti, argenti centeſimæ legitimæ* erant, *Nehemiæ V. ver. XI.* & ex *canone Legis*; & ſummâ tamen prudentiâ per NEHEMIAM revocatæ. Primò, quia (ut eo loco) *fœnebre* malum crebra *diſcor-*

*diarum* causa. Etenim ratione *comitum* duarum, quæ illud non ferè deserunt, ex parte *Creditoris* תוך *Psal. L X X I I. ver. X I V. Vis*, dum *constricta* tenet *nomina* sua *Lege fænebri*. 2. Ex parte *Debitoris* מרמה *Psalmo LV. ver. X I I.* dum *solvendo* non est, & *lunam sistere* non potest; ita fieri solet, & quidem ita fieri necesse est, ut *simultates* oriantur, non modò *forenses hæ*, vbi ex *jure, manu consertum*; sed etiam *castrenses* illæ, ubi *mage ferro rem repetunt*. *Prioris* IEREMIAS testis est, (*Ierem. X V. ver. X.*) *murmura* inde, *maledictiones, contentiones* excitari. Posterioris vel MOLINÆUS ipse, qui primam illam *plebis* à *Patribus secessionem* in *Romanâ* Republicâ uno hoc nomine contigisse (ut res est) liberè & ingenuè confitetur.

Secundò, quia *pecunia fœnori* exposita, vel *diviti* locetur necesse est, vel *tenuiori*. *Dives* ferè si occupavit, vel *monopola* fit, vel *protopola*: quæ duo, etsi ad tempus dissimulari possunt, (& quidem possunt;) *suppurationem* tamen ferè faciunt in *statu Reipublicæ*; non spernendam illam quidem in pacato, sed non ferendam in perturbato. *Tenuior* plerunque si accepit, ruit mox in aliquam ἀλεγεινὴν ὑπερβασίαν:[1] insolitum *acervum* conspicit, non patitur *animo malè* esse, unum *hilarem diem* sumit, dein alterum; pòst *versuram* facere cogitur, postremò *decoquere*. *Decoctionis* is exitus, qui priore *Samuelis Cap. X X I I. ver. I I.* ut si quis *signum* sustulerit, sive is DAVID sit, sive ABSALON, eò confestim, quibus res angusta domi est, & confertim confluant. Quod malum inter tam crebras *decoctiones* nostras, *Politicis* nostris pro levi habendum non est; nec est quisquam tamen, qui hoc quod nominavi, *pelago rei* familiaris *naufragium* faciat, qui priùs ad limen *fœneratoris, carinam* non alliserit.

(1 gravem excessum;)

Tertiò, non interest *Reipublicæ* τὸν μὴ ἐργαζόμενον in eâ ἐσθίειν: nempe ut cuiquam in eâ homini *divitiæ* per *inertiam, lucrum* ex *otio* nascatur. Hoc si ita detur, *Artes mechanicæ* protinus, *mercium* trajectio, *munia* quæque tum *rustica* tum *urbana* deserentur. Quis homo tam mentis inops est, ut velit *aleam* jacere, dies *inquietos*, noctes *insomnes* ducere, *periculum fori, cœli, maris* adire, sub *obscurâ* spe; cum ei liceat domi

cum

cum suis, absque *sudore frontis*, *cruciatu mentis*, extra *cælorum* & *tempestatum* injurias, *otio* pingui, *lucro* non minùs pingui, consenescere?

Postremò *publicum fænus*, publica θλίψις. *Singulorum* quidem fundis & fortunis *levata*, sed *singulorum* tamen fundis & fortunis *onerosa* θλίψις, dum à *fæneratorum nominibus viscera* illorum (ut fit) arroduntur, *mercium, annonæ, obsoniorum caritate*. Audacter dico, supra *millies millena centenaria* quotannis ducuntur *fænore*; jam *millies millenæ decunces* abeunt in *fænus*: Nihílne *beneficij publici*, si posset *Respublica* quotannis tanto *onere* levari? Conduplicari enim necesse est rerum *taxationes*, dum certat *fænus* cum *lucro*; nec id modò quod *familiæ* impendatur, sed id etiam quod *danistæ* exolvatur, majoris *precij* indictione comparandum est. Retineto *fænus*, non possum minoris quàm *asse*; remitte, ducas vel *dodrante* licet: sanè igitur *fæneratur fænus suum Respublica*.

Et quorsum igitur (quæret quispiam) *usuras* Politica *lex licitas* facit? Illa verò non facit, *permittit* tantùm; & hoc ipsum, *permissas* esse, summo scilicet argumento est, *licitas* non esse: Siquidem hoc, si *naturâ* suâ liceret, *permissione* non egeret.

Deinde, nec hac ipsâ *permissione patrocinatur* illis. Aliud est enim *patrocinari*; aliud, *modum ponere*. *Extirpatas* mallet, ut *nullæ* sint, si id *cupiditas* pateretur: nunc quia non patitur, *circumscriptas* vult, ut *moderatæ* sint.

Et hæc ipsa *moderatio* quid aliud est, quam testis (ut olim *libellus repudij* inter *Iudæos*, *durorum cordium*;) Ita *codicilli fænoris* inter *Christianos*, *nullorum viscerum*? *Nullorum* (inquam) *viscerum*, ac non *tepidæ* jam, sed planè *frigidæ charitatis*; quæ si vel leviter concaluisset, jam *Leges fænebres* suffragio, si non *juris*, *facti* certè, ubique gentium antiquatæ jacuissent. Interim nihil *humanæ legi* cum *foro Theologorum*; nec quia *permissæ* illîc, aut *modificatæ* sunt, ideo hîc *licitæ*; quando prudenter id dicatur à BVCERO, *Multis in rebus Mundum non habere quod culpet*, DEVM *tamen habere quod damnet*.

Consult the Statutes Angl.a See Poulton; printed 1661. Fol. 1293. 21. Jacobi. 17. cap. A proviso— See. 13. Eliz. cap. 8. Fol. 1011. usurie is termed, A vice: Fol. 1012. All usury is called detested forbidn p Lege Dei. See also 5, 6. Ed. 6. cap. where all usury or increase for Loan of money is forbidn.

Nam.

Nam quæ illis ratio plurimi eſt, nobis eſt nihili, *Malorum compenſatio* : & quæ illos ratio movere poteſt, non debet poſſe nos, *Pauperum προσωποληψία*. Quò magis miror, eas rationes, à *Theologis* noſtris, à CALVINO præſertim acerrimi iudicij viro, vſurpatas : *Ne* (inquit) *multi putantes ſe in anguſtias redactos, ipſâ deſperatione audaciores facti, abſque delectu ſe præcipitent in omnes impoſturas.* Qui pro *lupanaribus* dudum apud nos intercesſerunt, quâ voce uſi ſunt ? *Tolle lupanaria*, complebis *orbem libidinibus*. Quæſo, quid intereſt? *Tolle uſuras, complebis orbem impoſtoribus ?* At *proſtibula* quidem ſublata de medio ſunt, ac mundus nihilo jam plenior *impuritatis*. Quod quia rectè tum ſucceſſit, utinam non minus fœlici experientiâ etiam *fænora* quoque de medio tollerentur. Verùm utcunque ſuccedat nobis, id tamen tenendum eſt, *vtilius naſci ſcandalum*, quàm *deſeri verum*. Verum autem in *Theologiâ, Non facienda cuiquam mala, bona ut inde conſequantur* : (*Ad Roman. Cap. III. ver. VIII.*) Nedum *mala malis compenſanda* ; quod olim in LOTO damnatum eſt unanimi *Patrum* conſenſu, qui voluerat *ſtupro* proſtituere *virgines*, ne ruerent in *maſculos* : id quod ij faciunt, qui paciſcuntur *centeſimis*, ne mundus ruat in *quæſtus illicitos*.

Altera porrò ratio, vel veriùs commiſeratio, *montes* illos (quos dicunt) *Pietatis* parturivit, quò *viduis orphaniſque* ſalvâ *ſorte*, conſuleretur. Quâ *pietate* jam id uſuvenire aſſerunt, ijs in locis, ut plus noceat *patri-familias* ante, quàm *orphano* commodet poſt mortem paternam ; cum decedat *Teſtamento* plus ex dato *fænore*, quàm accedat *hæredi* ex accepto.

Atqui *Archiepiſcopus Tranenſis*, qui ſolus in *Seſſione X*a *Concilij ſub* LEONE X. ivit in alia omnia, cum reliqui à *montibus* eſſent, rectè ſtatuit ex *Cap. XXIII. Exodi, verſu* autem *III.* In *juſtitiâ, faciem pauperis agnoſcendam non eſſe*, quin tam curæ eſſe debere, quod DEVS *voluit vetuitve*, viro ad *egeſtatem* redacto, quàm ad *divitias* evecto

Certè enim, cum tam frequentibus in locis, curam ſuam quam erga *orphanos* habet ſingularem teſtatus ſit, tam facilè
Deut. 23. 20. Ei fuiſſet על יתום תשיך retuliſſe in ſcripta, quàm לנכרי תשיך totidem ſyllabis ; Permitto vobis *fænus* propter *orphanos*, quàm

permitto

permitto vobis *fœnus* in *extraneos*, si illis *Monte* aliquo *pietatis* consultum voluisset.

Me verò si audiant *Orphani*, DEO de *sorte* gratias habeant, cùm multos quotidie etiam vel *sortis exortes* videant. Exponant eam *artibus* honestis, *Divinis promissis* freti, quæ *viduæ orphaniqne* habent uberrima, præter supráque mortales cæteros.

*Urbium* autem *Cameræ*, si negotiari velint pecunijs *orphanorum*, quid obstat, quò minùs id sine *Syngraphâ* suscipere; suscipere (inquam) sine *conventione Sortem*, *lucrum* exin facere, *lucri* portionem illis, *eleemosynæ* nomine, citra tamen *pactum*, assignare?

Dictum de *Politiâ* satis. Ad *Ecclesiæ* praxin accedo, in quâ suscepi initio id edocendum, nullius temporis usuram *usuris* concessam esse. Cum *Divi* IACOBI locum illum in mentem revoco, qui est *Capite V. versu III.* Ὁ χρυσὸς ὑμῶν κατίωται, [a] conjecturâ ducor, primos illos & à CHRISTO recentes *Christianos*, *fœnus*, (nescijsse non possum dicere, illud dicam) detestatos esse. Quod ni ita foret, & si *fœneratoris* artes adhibere voluissent, facilè *aurum* atque *æs* suum ab *ærugine* vindicâssent. Et certè VINCENTIUS (Author non indiligens) sic narrat, quicunque primis illis temporibus, ob *fœnus*, malè audijsset, incurrisse statim in odia reliquorum, ut nec *osculo pacis*, in Templo dignari voluerint, non *colloquio* aut *salutatione* in plateis; domum ejus *domum Satanæ* appellatam esse, nec cuiquam inde *Christiano*, *ignem* petere licuisse. In istius odij hæreditatem successit quæ subsequuta est *Ecclesia*, qua pote semper *usuris* omnibus inimica.

([a] aurum vestrum ærugine vitiatum est.)

*Orientalem* assumo: simul illius praxin, simul *Patrum*, qui in eâ floruerunt, judicia percipietis. E quibus, mihi primus sit qui propius à CHRISTO abfuit, CLEMENS ALEXDRINUS, Στρωματέων λόγῳ Β. Περὶ δὲ τῆς μεταδόσεως καὶ κοινωνίας, πολλῶν ὄντων, ἀπόχρη μόνον τοῦτο εἰπεῖν, Ὅτι ὁ νόμος ἀπαγορεύει ἀδελφῷ δανείζειν, ἀδελφὸν ὀνομάζων, οὐ μόνον τὸν ἐκ τῶν αὐτῶν φύντα γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν ὁμόφυλος ἢ ὁμογνώμων τε καὶ

α. De communicatione autem, cum multa sint in promptu, hoc dixisse sufficiat; Lex vetat à fratre fœnus accipere. Fratrem autem vocat, non tantùm qui ex ijsdem parentibus sit ortus, sed quicunque popularis est; quicunq; ejusdem mentis & sermonis est particeps. Iusti non est, pecuniâ fœnerare, sed liberâ manu & animo egentibus contribuere.

τοῦ αὐτοῦ λόγου κοινωνητικούς: οὐ δίκαιον ἐκλέγειν τόκους ἐπὶ χρήμασιν, ἀλλ' ἀνειμέναις χερσὶ καὶ γνώμαις χαρίζεσθαι τοῖς δεομένοις. α.

Multò etiam vehementior BASILIVS est, *supplemento in Psalmum* (ut illi censetur) *XIIII.* quo loco totus est per totam homiliam in *fænore* persequendo. Remitto vos illuc: Sententiola tamen hæc, quo animo fuerit erga *usuras*, docebit. Πλούσιος εἶ; μὴ δανείζου. Πένης εἶ; μὴ δανείζου. εἰ μὲν γὰρ εὐπορεῖς, οὐ χρήζεις δανείσματος, εἰ δὲ οὐδὲν ἔχεις οὐκ ἀποτίσεις τὸ δάνειον. β.

β. Dives es? ne fœnera. Pauper es? ne fœneratator. Nam si dives es, non eges fœnore. Si pauper autem, non est, unde solvas.

BASILIVM excipiet BASILII *frater* GREGORIVS NYSSENVS, *Epistolâ ad* LATOIVM *Episcopum Mitylenæ. Atqui apud divinam Scripturam,* & τόκος & πλεονασμὸς *sunt prohibita, etiamsi sub* contractûs *aut* transactionis *specie hoc fortasse factum sit.* Πλεονασμὸς autem quid illi sit, BALSAMON jam ante interpretatus est, *accessorium* quod præter *sortem* contingit. Fertur & ejus nomine apud AQVINATEM severior altera: non reperio, non igitur commemoro.

Alter succedit huic GREGORIVS NAZIANZENVS, λόγῳ εἰς τὸν πατέρα σιωπῶντα. Ὁ δὲ τόκος καὶ πλεονασμὸς τὴν γῆν ἐμίανε, καὶ συνάγων ὅθεν οὐκ ἔσπειρε, καὶ θερίζων ὅπου μὴ διεσκόρπισε, γεωργοῦν οὐ τὴν γῆν ἀλλὰ τὴν χρείαν τῶν δεομένων. γ.

γ. Fœnus & incremētum terram corrupit, dum colligit ubi non seminavit, & metit ubi non sparsit, nec terram colit & exercet, sed indigētiam pauperum.

Porrò quintus sit CHRYSOSTOMVS acerbissimus multis in locis τοκιστής, *Per Epilogum totum Homiliæ in Matthæum, LVII.* tam graviter, ut in *Leges* quoque ipsas asperiùs invehatur. *Gravissimus (dilectissimi) morbus & magno studio indigens, incidit in* Ecclesiam. Locus prolixus est, cætera ipsi apud vos percurrite. Hoc ipso è loco verisimile mihi fit, rebus *Christianorum* compositis, *Ecclesiam* jam tum primò *malo fænebri* laborâsse. Et Homiliâ in *Gen. XLI. Ab initio Iudæis præceperat, non fænerabis. Quâ ergo excusatione digni erunt, qui Iudæis sunt inhumaniores, & pòst gratiam,*

*gratiam, & tantam à* DOMINO *misericordiam, hiis qui sub Lege fuerant, inferiores.*

Sextum autem sisto Virum doctum & disertum, (non enim CHRYSOSTOMVM) *Authorem Operis imperfecti in* MATTHÆVM, *Homiliâ XII.* Ergo *jubet nos* CHRISTVS *mutuam dare pecuniam, non tamen sub usuris: quia qui sub usuris mutuum dat, primâ quidem facie videtur sua dare, reverà autem non sua dat, sed aliena tollit.* Dein ad *aspidis* comparationem descendit, omnium jam penè scriptis usurpatam.

Ex *Orientali* senos hos accepistis: Totidem alios citabo ex *Occidentali. Testium* hoc satis erit opinor.

TERTVLLIANVS *lib. IV.* contra *Marcionem. Percurre sequentia* EZECHIELIS *de eodem viro justo. Pecuniam suam fœnori non dedit, & quod abundaverit non sumet, fœnoris scilicet redundantiam, quæ est usura. Prius ergo fuit ut fructum fœnoris eradicaret, quo faciliùs assuefaceret hominem ipsi quoque sorti perdendæ, cujus fructum sub Lege didicit amittere.*

LACTANTIVS *de verò cultu Lib. VI. Cap. XVIII. Pecuniæ, si quam crediderit, usuram non acccipiet; ut & beneficium sit incolume, & abstineat se prorsus alieno. In hoc enim genere* officij *debet suo esse contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat. Plus autem* accipere, *quàm dederit, injustum est, nec* inquinabit *sese justus hujusmodi quæstu.*

Ex AMBROSII jam ante syllogismo, de eo conjecturam facitis: *cap. XIV. libri de* TOBIA. *Quodcunque sorti accedit, usura est; Si licita, cur vocabulum refugis? cur velamen obducis?* (quod nostri hodiè factitant, dum adhibent (ut acutè quidam) *interesse*, ut *emplastrum* sit *fœnoris*:) *Si illicita, ut est, cur incrementum requiris?*

HIERONYMVS in *XVIII. Ezechielis. Vide profectum. In principio Legis, à fratribus tantùm fœnus tollitur; in Prophetâ, ab* omnibus *fœnus removetur. Parrò sub Evangelio virtutis augmentum est. Fœnus* autem ne quis causetur *legitimum* non innui, ita demum non fieri asserit, *Si plus* non *accipias* quàm *dedisti.*

AVGVSTINVS in *Psalmum XXXVII. Quicquid sit, si plus quàm dedisti, expectes accipere, fœnerator es, & in hoc reprobandus.*

*bandus.* Quæ si vobis mitior vox esse videatur, *Homiliâ XXXV. de Verbis* DOMINI planiùs loquitur: ubi *pecunias* sic partas, adeo *damnat illiciti*, ut edicat suis; *Nolite velle facere eleemosynas de fænore & usuris.*

LEO *Magnus Sermone XVI. de* Iejunio X. mensis. *Vnde usura quilibet sequatur eventus, peccatum est; ut aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior sit acquirendo quod non dedit. Fugienda prorsus ergo iniquitas est fænoris, quia fænus pecuniæ, funus animæ.*

*Patres* sic quidem; atque in *Patribus Ecclesia.* Iam ab horum *Patrum sæculo* ad *Scholam* usque, in quæstione *fænoris* nihil immutatum, ex ISYCHIO constat *lib. VII.* in *Leviticum.* Ita *demum putes implere te Scripturam de fænore, si non accipias usuras à fratre, nec* amplius *quàm dedisti. Nec enim fas esse, Lucrum de pietate captare.* Ex GREGORIO I. Cujus censura extat eo nomine in PETRVM quendam *Epistolâ ad Cives Neapolitanos.* Ex ANTIOCHO apud *Sacram Bibliothecam*; *Homiliâ XII.* ubi asserit, In genere nulli non *Christiano interdictum esse, artificio quovis exercendæ usuræ.* Ex GILDÆ nostratis *Epistolâ,* Vbi de hoc *quæstu* quæritur, *Britannis* & familiari tum, & post *exitiali.* Ex BERNARDO *Epistolâ CCCXXII. ad Spirenses: Tamen sicubi desunt Iudæi, pejus judaïzare dolemus Christianos fæneratores, si tamen Christianos, & non magis baptizatos Iudæos convenit appellari.* Cujus etiam *Definitiones illæ* feruntur ex *Libro de curâ rei familiaris. Quid est Vsura? Legale latrocinium. Quid est Legalis fænerator? Latro prædicens quid intendat.*

Suscepit hanc *Patrum* sententiam *Schola;* nec mutavit quicquam. Et in eâ quidem convenerunt utriusque familiæ viri primarij. THOMAS (præter duos locos, alterum in *Sententiarum III: inter quæstiones disputatas* alterum) *Secunda II. Quæst. LXXVIII.* SCOTVS in *Lib. IV. Sentent. Distinctione XV. Quæstione II.* Quorum ad ætatem usque nostram Placita perdurârunt.

Ac ætate demum nostrâ, nova manus *Theologorum* exorta est, *Scholæ* quidem in multis, in hâc lite, cum *Scholâ, fænori* adversantium.

LVTHERVS,

LVTHERVS, qui *usuras* omnes ex animo detestatus est, si quis mortalium alius, in *Psalmum XV.* tristem *Danistis* versiculum illum non putat egere *explicatione* sed *impletione.*

ZVINGLIVS in *VI. Lucæ.* ERASMVS *de puritate Tabernaculi.* MELANCTHON *in Psalmum CXII.* CAMERARIVS *Catechesi græcâ in expositione Præcepti VIII.* MVSCVLVS *in Supplemento Psalmi XV.* HEMINGIVS *in V.* IACOBI. ARETIVS *Loco communi CXLIII.* Consulo vobis (Viri ornatissimi) & tædio vestro, dum locos singulos non recito; nonnihil etiam festinationi meæ.

At *Helvetij* & *Genevenses* ἰδιοσυγκρασίᾳ quadam suâ, dum *profugos* primò recipiunt *religionis* ergò, eosque *fæneratitiâ* stipe nutriunt, & *retractare* pòst piget (qui *morbus* plerosque hodie mortales occupat;) *periculoso* sanè *exemplo*; quòd ipsi primò fecerunt, fieri pòst ab alijs posse defenderunt; & argumentum jam faciunt *justè* faciendi, *diu* facere. Non excutio singulas *hypotheses*, in quibus toti sunt; Infinitum illud foret: cùm ad *argumenta* ventum est, nihil afferunt, nisi illa de *Neshech*, de mentione *pauperum*, de *lucro cessante*, de *malo compensando*, de *lugubri statu orphanorum*, satis ante jam à nobis agitata. Id tantùm moneo, qui eas in manus sumet, videbit (nisi nolit videre) *aquam* illis (quod dicitur) *hærere*; & præter *hypotheses* quasdam callidè excogitatas, quò *nodum* reddant magis magísque impeditum, (qui labor in tenui est) nihil magni adferre: ita ut mihi in *quæstione* totâ ἀκροβολίζειν tantùm, id est, summa secuti rerum fastigia, non totis viribus in causam incubuisse, videantur.

Vel CALVINI ipsius quantæ *trepidationes*, in *Ezechielis VIII!* Primò sic ponit. *Fænerari est quæstus certè illiberalis & indignus homine, tam pio quàm honesto.* Rectè hoc. Deinde illud apponit, *Vix fieri posse, ut non gravet fratrem, qui usuras exigit:* Ne hoc quidem malè. Pòst autem, *Poterit quis fænus accipere, qui non fænerabitur.* Vix intelligas nisi illud adderet, *Poterit quæstum accipere, & id semel facere, sed si sæpius, vitio non carere.* Et quid ita *semel* tantùm? Fateor fugere me *Theologiam* hanc. Quin si *licitè* fiat hoc, sive *fænerari* dicas, siue *fænus accipere*;

*bis* fiat, *ter, quater,* vel *decies* si voles. Sin *illicitè*, ne *semel* quidem. Sed quid agas? Quivis vel doctissimus vir, aliter habendus est, cum salutat quæstionem, & perstringit leviter; aliter, cum in manus sumit atque excutit.

De *Ecclesiâ Patribus, Theologis,* quique *veteris Scholæ* sunt, quique *novæ,* liberavi fidem.

Sin id quisquam dixerit: *Singuli* sic quidem senserunt; *Singulorum* sententiæ *subitæ* sæpè sunt, & quod illis *cerebri calor* suggerit, id impingunt in *chartam.* Nulla *deliberatio, disceptatio, determinatio.* In *Conciliis* insunt omnia hæc. Sequar provocantem: atque utinam vel illis stare teneantur. Decernunt enim *odium,* & (si fieri posset) *funus fænoris* universè. Ac eorum partim *usuras Cleri* insectantur: partim, *Populi.* Sed quia, ut *Pastores* τύποι ποιμνίων, ita *greges Pastorum* ἀντίτυπα: Et quia in *Clero* cum damnantur, *turpis lucri* nomine damnantur: Et quia *Canon* est, neminem aut *arcendum,* aut verò etiam dejiciendum de *Sacris Ordinibus,* nisi ob *peccatum grave,* & (ut ei nomen faciunt) *mortale*; fit, ut qui in *Cleri usuras* lati sunt *Canones,* ad *populares* quoque accommodari possint.

Primò autem, ne in verbo impingamus, aut à *legitimis usuris* discessisse videamur, quæro, quid sit *usura Conciliorum* dialecto? *Agathensis Concilij Capite. III.* decernitur *usuram* esse, ubi *amplius requiritur* quàm *datur.* Pergamus jam. NICENO *primo, Canone XVII.* Decernitur *peccatum mortale*; quia sancitur *dejectione* à *Clero.* Itidem *Arelatensis primi Capite XII.* & *Secundi Capite. XIV.* quia sancitur *abstentione ab Eucharistiâ.* Et *Carthaginensis primi Capite XIII.* quia *turpe lucrum* statuitur.

At verò *Eliberini Concilij Cap. XX.* ut *degradantur Clerici,* ita projiciuntur ab *Ecclesiâ laici fæneratores.* Et *Turonensis Cap. XIII.* Ne quis omnino *usuras* accipiat.

Et *Synodorum Græcarum Capite LXII.* Oblitos *timoris* DEI & *Sacrarum Scripturarum,* qui *accipiunt,* ac proinde acriùs vindicandos.

At *Lateranense* sub ALEXANDRO III. *Capite XXV.* acerbissimum est; sed incurrit in tempora minus sana. Quare prætermitto.

*Concilia*

*Concilia* dixerunt: *Re deliberatâ, disceptatâ, determinatâ,* dixerunt.

Iam si in *Ius* vocent, etsi iniquum postulatum est, tamen si non *apices Iuris,* sed *Ius* ipsum; & *Vim* illius ac *essentiam,* ac non nescio quàm *convenientiam* velint, nunquam hodiè effugient. Illuc me do: nam inde ad institutum hoc paucula delibavi; parcè id quidem, ut decet *Theologum,* sed ad id, quod præ manibus est, abundè satis futura.

*Canonicum* primò à nobis totum est. Iure mireris MOLINÆVM, qui *textu D X V.* sine dubio τρὶς ἀπομαξάμενος [c] id sibi assumit, ut doceat, *Ius Civile* per *Canones* correctum non esse. *Decretorum Distinctio XLVII.* & *Causæ XIV. quæstio III.* & *IV.* de *usuris* tota agit: eas, ex *Agathensis Concilij* supplemento, intelligit; *illiciti* reas peragit, *illiciti* damnat. Etiam *Decretalium Liber quintus:* sed nolo ad fæces usque. Etiam *Decretales Epistolæ* duæ *Tomo Conciliorum I.* GELASII altera, altera LEONIS *primi Lib. I. Epist. IV.* Horum omnium censurâ, *fæneratores* sani adhuc, neque accipere possunt in *Ecclesiâ Eucharistiam,* neque *oblationes* dare: *visitatione* privantur ægri, *testatione* morituri, *sepulturâ* mortui. Etiam, quod majus est, *Suasores* qui pelliciunt ad *fænus, sequestri* qui intercedunt, *Notarij* qui operas præbent, *Testes* qui astant, *Advocati* qui defendunt, *Magistratus* qui favent, *Confessores* qui absolvunt, pari cum ipsis *crimine* involvuntur, pari cum ipsis *anathemate* feriuntur.

[c] Ore ter absterso,

*Civile Ius* priscum nihilo magis favet: *De XII. Tabulis* loquor. Sic de ijs CATO, *principio de Re Rusticâ. Maiores nostri sic habuere, & ita in legibus posuere, Furem dupli condemnari, Fæneratorem quadruplo: adeò pejorem existimabant fæneratorem quàm furem.*

Etiam ex AVGVSTINO constat, seculo illo *infames* fuisse infamiâ *Iuris,* & *indignos* habitos, qui *Rempublicam* capesserent.

Quod si ista jam *Iuris principia* sunt, 1 *Mutui* naturam esse, ut sit *gratuitum:* 2 *Certum lucrum* ex *incerta negotiatione* non captandum: 3 Vbi nihil *permutatur,* non exigendum *lucrum:*

So-

4 *Societatem* non consistere sine *lucri & damni communione* : 5 *Res quæ usu suo* consumuntur, neque *naturali*, neque *civili* ratione recipere *usum fructum* : 6 Ex *alienâ re, Domino invito, fructum* non quærendum; *Invitum* autem esse, qui *integrâ voluntate* non consentit: uti ea perhibet gravis Author inprimis & cordatus, HOTOMANVS Commentatione suâ in *Titulum de usuris*, qui & *Leges* citat & *Paragraphos* : Si illud *civile* est, *Sacras leges* non dedignari, *Sacros Canones* imitari in *Matrimonio & usuris*, (quod in *Autenticis* habetur :) *Si Concilium Nicenum* recipere: Si denique *inferiorem non tollere legem Superioris*, ac proin nec *Cæsarem* IEHOVÆ, actum est etiam *Iure novo*, de *jure fœnoris*, nisi *cordis* nostri *durities* intercedat, & præter contráque *jus*, *codicillos permissionis* impetret. Sed litem hanc totam HOTOMANO commendemus, eumque cum MOLINÆO committamus, *verboso* quidem (ut ipse eum appellat) magis quàm *argumentoso conventionum* istarum defensore.

Neque verò etiam *Ius nostrum Municipale* dimittam, nisi & illud quoque contra *fænus* testimonium suum dixerit. Triplex autem id est, 1 Sub *Britonibus*, tum cùm antiquâ *lege* sancitum est apud GILDAM, & quidem (ut aiunt) *Mulmutianâ*, ne fraudi cuiquam foret *fæneratorem fallere*. 2. Sub *Saxonibus*, ex lege EDVARDI *Confessoris XXXVII*: Vti *fænus* omne abiret in *lienem Reipublicæ*. 3. Sub *Neustrijs*, EDVARDI I. *Anno IV*. Lege sacratâ contra *Iudæos*, qui pulsi tum sunt Insulâ totâ, ac *Caursinos* etiam *Pontificios trapezitas Iudæis* ipsis deteriores. Exin *Canonico* jure transacta res est, usque ad *Annum V. Principis Optimi*, ac sine crimine monstri, in omni nobis vitâ deflendi, EDVARDI *VI*. Sub quo *primitiæ* hîc tum *Reformationis*, inter alia multa, hôc quoque & imprimis hôc *stratagemate*, insignes extiterunt, quòd *Leges fænebres*, sub *Papatu* fixas, refixerunt, & *usuras* omnino omnes, ad *unciarias* usque severâ *sanctione*, sustulerunt.

Credo hæc jam respondere posse etiam votis iniqui hominis, ad *instituta Iuris* demonstranda.

Ven-

Ventum est ad *Historias*. *Sacram*, cujus fide cognoscitur quo in statu res *Iudaicæ* fuerint, tum IEREMIÆ tempore, cum *fœnus* tolerarent; tum NEHEMIÆ, cum tollerent. *Prophanam*, apud quam, tum *Athenis* celebris illa PLATONIS σεισάχθεια; tum *Ægyptia* lex de cadavere paterno *usurarum* pignore; tum AGIDIS luculentus in foro *Spartano* focus, loculenti testes sunt; quo loco *gentes illæ fœnus* habuerint. Lucidiora sunt illius apud *Romanos* intervalla: Paucis accipite: Peccem enim in tempus ipsum atque vos, si singula consectarer.

*Fœneratores bis fures* modò jam ex *XII. Tabulis* accepistis. Posterioribus sæculis *fœnusculum* primò permissum est, nempe *unciarium*: cito inde ad assem crevit amor nummi, ut necesse habuerit L. GENVTIVS (*Decadis I*[a]. apud *Livium, lib. VIII.*) in totum tollere. Rursus ad *uncias*: Rursus sensim succrevit *usura*, & resecta denuò est per CNEIVM & QVINTVM OGVLNIOS *Romæ*, per CATONEM & LVCVLLVM in provincijs (*Decadis IIII. lib. II.*)

Tandem à TIBERIO sublata est, uti refert vir variâ eruditione ALEXANDER ab ALEXANDRO. Surrepsit tum quoque ut antè, ex *pace publica*, & ex ingenio *Imperatorum*: Modum posuit IVSTINIANVS; modum illa nescivit: Sublata ergo tandem per BASILIVM LEONIS patrem. Deinde, cum iterum permissa, iterum quoque graviter incumberet Orbi *Christiano*, sublata quintò per ALBERTVM CÆSAREM. Eâdem tamen etiam *Usuræ* medicinâ opus habuerunt CAROLI V[i]. temporibus; qui ætate nostrâ vixit, sublatæque ab eo sunt per Ditiones suas *Diætâ Augustanâ*, *Anno MDXXX*[o]. ut mihi melior nulla, nulla magis compendiaria via visa sit, quàm ut semel in perpetuum tollantur, quæ toties tollendi necessitatem faciunt; & hanc quoties faciunt, eásque sic facientes tollit *Respublica*, toties & *Usuras* ipsas notat *injustitiæ*, & eos *inscitiæ*, qui eas contendunt esse è *Republicâ*; in quo, prætarquam quod DEO insignem faciunt contumeliam, qui eas exclusit è Suâ, rem dicunt contra *Historiarum* (ut videtis) omnium, & antiquitatem & fidem.

Quid porrò reliquum eſt, niſi ut rudera adeamus & fragmenta *Gentium*, & ex illis *Philoſophorum* manes excitemus, ac ſciſcitemur ab ijs; ut dubiâ illorum & obſcura luce damnati, deſertos ſeſe *fœneratores* ſentiant, cauſámque ſuam modis omnibus miſerè jacere. Ex multis qui ad manum ſunt, ternos tantum è *Graciâ* dabo, & alios è *Româ* ternos: Erunt ij in anguſtijs hijs inſtar omnium. 1. PLATO, *V.* de *Legibus.* Μὴ δὲ δανείζειν ἐπὶ τόκῳ, ὡς ἐξὸν μὴ ἀποδιδόναι τὸ παράπαν τῷ δανεισαμένῳ, μήτε τόκον, μήτε κεφάλαιον. ταῦτα δὲ βέλτιστα ἐστι τῇ πόλει ἐπιτηδεύματα. δ.

δ. Non omnino fœnerare, cum fœneratori tam ſortem, quàm fœnus negare liceat. Hęc optima Civitatis inſtituta ſunt.

2. ARISTOTELES *Politicorum I°. Capite VII.* Ὁ δὲ τόκος γίνεται νόμισμα νομίσματος. ὥστε καὶ μάλιστα παρὰ φύσιν οὗτος τῶν χρηματισμῶν ἐστι. ε.

ε. Fœnus autem fit nummus nummi. Quare & maximè contra naturam eſt hic quęſtus.

3. PLVTARCHVS περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι: ubi poſtquàm aptiſſimo nomine θήτας eos καὶ ἴτας appelláſſet, (unde & BALDI *Coſſus*, ni fallor, emanavit;) breviter abſolvit rem totam: Ἔχεις; μὴ δανείσῃ, οὐ γὰρ ἀπορεῖς: οὐκ ἔχεις, μὴ δανείσῃ, οὐ γὰρ ἐκτίσεις.

*Romanos* cum circumſpicio, quis CATONE gravior? quid autem CATO graviús in eos dixiſſe potuit, quàm quod dixit, συνώνυμα ſibi eſſe *fœnerari* & *hominem occidere*? Pervulgatum dictum apud CICERONEM *extremo II. Officiorum.* 2. SENECA *libro de beneficijs VII. Quid fœnus & Calendarium & Uſuræ, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina?* 3. PLINIVS *libro Hiſtoriæ Naturalis XXXIII. cap. III.* elegantiſſimo nomine *quæſtuoſam ſegnitiem* appellavit; ut ille ætate noſtrâ, non minus eleganti dixit *Chymiam Satanæ*, niſi quod hoc interſit, quòd noſter hic, arte majore, ſine vel *impendio* vel *fumo*, *nummos* excoquat, & commutet χρύσεα χαλκείων.

Ac ne eos putes *authoritate* ſolâ premere, *aculeis* quoque quos & habent & adhibent, cruentant *Uſuras*. Totam namque rem *rationum* momentis tranſiguut, docentque *fœnus* numeros omnes habere *improbitatis.*

Primò, quod committat in *finem nummi*, cum eum propter ſe transferat, qui ut alia transferret repertus eſt; atque ita idem fit & *merx*, & *pretium mercis*: utrumque *vitioſum*, quia *fine indebito*.

Se-

Secundò, quòd committat in *naturam nummi*, cùm res *sterilis* non gignat, & si gigneret, plus *gravida* valeret, quàm sine *partu*; quod *sors* tamen non facit: utrumque *vitiosum*, quia *contra naturam.*

Tertiò, quòd in *naturam Contractuum* committat: Nam neque *Mutuum* est, quia *Mutuum datur*, non *venditur*; Neque *Locatio*, quia in eâ *periculum* penes *locantem*, hic penes *conducentem.*

Quartò, quòd in naturam *rerum.* Facit enim ut ex *nihilo aliquid* producatur; quæ PLVTARCHI ratio est: ut *semel unum* sit *plus uno*; quæ ratio BALDI est. *Lucrum* percipit ex *lucro nondum existente*, fortasse nec unquam *extituro*: vendit *Debitori* vel *nihil*, vel *idem bis*; vel *tempus*, vel *industriam propriam.*

Quintò, quòd in *leges Rationis.* Neque enim quisquam unquam *precium* postulavit pro *diurno mutuo*; cum tamen ex *Anni* proportione ad *diem*, rata *usuræ* portio possit assignari: Sed neque *repræsentare* ausus est; cùm tamen quod *jure venale* est, *jure* etiam *repræsentare* possit.

Sextò, quòd in *leges Orationis.* Quid est enim *accommodare*, quàm *ad commodum dare*, *tuum* scilicet, non *meum*? Aut quid est *dare mutuum*, quàm *dare meum ut sit tuum*? Et quo *jure*, quod *tuo commodo* dedi, *incommodo* repeto? aut, pro eo quod *tuum* est, me *tuum faciente*, quasi *tuum* ipse non *fecerim*, *fœnus* exigo?

Quos verò, nec *ratio* movet, nec *quicquam* aliud, *Experientia* moveat; quæ promissi mei pars ultima est. Illa, etiam *stultorum Magistra* est; tam bona scilicet, ut & eos quoque reddat *sapientes*; sed *sapientes*, ut *Phryges*; non sanè priùs quàm in aliquo *fœneratoris* ludo vapulârint. Sed ego de *Republicâ* loquor, in quâ (ubi, non dico, *liberæ*, sed ubi *constrictæ Legum* vinculis *Usuræ* sunt) quàm multi per *usuras Assidui*, in *Capite censos* mutati? quantáque *decoctorum* copia, sub hâc solâ spe sæpè fortunas suas dissipantium; esse, â quibus possint *decunce* ducere? Tum quæ *fraudes*, *difficultates*, *querimoniæ*, qui *colores* quæsiti, *Mercium dodrantalium*, *Nominis* sine *homine*, ἀπηχρήστους, *Emptionis* sub *pacto revendendi*? Id demum suadere potest,

ubi adhuc integra res est, non debere permitti; & ubi permissæ sunt, debere (nisi fortè nequeant) revocari.

Ne *Reges* quidem immunes ab hoc malo: Ne *Reges* quidem sufficiunt huic malo; ne quis me putet de *proletarijs* solis verba facere. Memoriâ nostrâ *Lusitani Trapezitæ*, lege quidem *fænebri* tenebantur; sub *Collybi* tamen prætextu: eò res Regni illius adduxerant, ut necesse habuerit SEBASTIANUS *Rex*, vel *usuras* foro, vel seipsum *Regno* abdicare. Factum hoc; & *usuræ* Regno toto profligatæ sunt: ἐμπειρία gravis. Audite alteram. Potens *Rex Hispaniarum Rex*; sic est; multò magis foret: Sed est illi res nimium diu cum hac *hirudine*. Quicquid quotannis in *Moluccas* mercium transmittit, aiunt *fænore* duci à *Genuensibus*. Sanè nimium bonæ rei advehitur inde in *Hispanias*: Sed bonam ejus partem, quod hunc capere oportet, illi *usuris* suis intercipiunt. Nihil addo, nisi quod pueri cantillant,

*Fælices quos faciunt* ———

Nimis facilis labor esset, plures huc ἐμπειρίας de nostris aggregare: sed me, tametsi festinantem, tempus occupavit: Et verò tempus jam est, ut eatur in arenam.

Quare reddam vos vobis (Humanissimi Doctissimíque viri) & *Epitasin* addam ut finis sit. Propitiâ itaque *Theologiâ*, quod & *Veritati* consentaneum sit, & *Ecclesiæ Reipublicæque* faustum, vobis præsentibus, audientibus, dixerunt testimonia contra Usuras, *Lex*, *Psalmi*, *Prophetæ*, CHRISTUS *Ipse*, *Iustitia*, *Charitas*, *Politia*, *Ecclesia*, *Patres*, *Schola*, *Theologi* recentiores, Triplex *Ius*, *Historia*, *Gentes*, *Ratio*, *Experientia* denique ipsa. Quæ si vobis *suffragij jus* habere videantur, & idoneas *rationes* reddidisse, ite mecum in hanc sententiam, *Usuras legitimas esse illicitas*.

*FINIS.*

# DE DECIMIS, THEOLOGICA DETERMINATIO, HABITA IN PVBLICA SCHOLA THEOLOGICA Cantebrigiæ.

Per LANCELOTVM ANDREVVES
S. Theologiæ Doctorem.




*LONDINI,*
Excudebat *Felix Kyngston* pro *R. B.*
& *Andræa Hebb.* 1629.



# *DECIMÆ non ſunt abrogandæ.*



EOs olim mores, ea tempore fuiſſe, in quibus lauta fuerit *Sacerdotij* conditio, nec modò iſtis *literarum* ſanè præclaris, ſed illis etiam *opum* atque *dignitatum* ornamentis, quàm florentiſſima, *Veritatis Teſtis Hiſtoria* teſtis eſt. Apud *Ethnicos* THEOPHRASTVS author eſt (*Lib.IX. De plantis, Cap.IV.*) pro *decimis* (in quibus tamen ipſi nobis dapſiles videmur) *tertias* perſolutas eſſe. Apud *Iudæos* narrat PHILO, *Regibúſ* ſæpè finitimis invidioſam *Corbanæ* opulentiam extitiſſe. Apud *Chriſtianos*, cùm cæteris in Gentibus, tùm verò in noſtrâ hâc, certum eſt, adeò in immenſum excreviſſe cupiditatem augendi *Cleri*, ut magnopere metuendum eſſet, ne *Eccleſia Politiam* abſorberet: Itaque maturo conſilio cautum eſſe, (etiam nunc caveri quoque cùm minimè opus eſt,) ne qua prædia *mortuam in manum*, id eſt, ad *Sacros uſus*, ſine *Regio Diplomate* legari poſſent. Hij olim mores, hæc tempora. Hijs moribus atque hijs temporibus, minimè vel dubia vel neceſſaria de *Decimarum* jure diſceptatio.

At ætate demum noſtrâ, cum ut ſenex ferè quiſque ita mundus ſeneſcens totus vergit in æra, Generalis *chiragra* eſt. Acceſſiones ad *Clerum* nullæ; utinam id tantùm: Crebræ imminutiones. Crebræ (inquam) imminutiones ſunt; atque utinam id tantùm contingat dicere, ſunt; nec cauſa ſit unquam futuri temporis uſurpandi. Ad hoc autem ſæculi noſtri ingenium, (in quo præ auri ſacrâ fame, nihil penè *ſacrum* eſt,) accedit & error alter, quòd Illuſtres illi viri, nec un-

unquam ſine ſummâ honoris præfatione nominandi, quorum DEVS, in *Religione* reſtaurandâ, operâ uſus eſt, de *doctrinæ* reſtitutione valdè ſoliciti, ad *patrimonium* minùs attenderint, ac id pæne dixerint, quod *Sodomorum Rex* ABRAHAMO, *Date nobis animas, cætera vobis tollite.* Verùm ut illi, qui Baptiſtam, ita & hij qui ABRAHAMVM ſe *in aulis Principum* reperturos ſperabant, utrique falſi ſunt.

Qui error etſi levis ſit (& eſt certè levis, ſi ad magna illa illorum[a] κατορθώματα conferatur:) tamen verendum eſt, ne graviter incumbat ſequenti ſæculo, in quo Cordati Viri (ex illo SALOMONIS, *Vbi vacuum præſepe, ibi boum penuria,*) vel *barbariem*, vel aliud quod diſcere nolo, augurantur: falſò quidem fortaſſe, idque faxit DEVS; ſed non temerè tamen augurantur. Ac debebant illi quidem (quod dicitur) *principijs obſtitiſſe*, & huic ſęculo edenti & bibenti, & omnia in deteſtabiles uſus pervertenti, hunc bolum eripuiſſe; nec ſolùm de *lucis accenſione*, ſed & de *olei infuſione* proſpexiſſe. Quod quia factum non eſt, malum hoc manare indies latiùs, & [b] κληρεφάγοι noſtri ſuſurrare (ut fit) in angulis, *Eccleſiam* etiam de reliquijs iſtis *Decimarum*, in jus vocari poſſe; proin novas rationes excogitare, ut deterius illi ſit; tum de *ſtipe* mentionem facere: poſtremò verſare ſe in omnia, quò id *Miniſtri* tandem ſeriò affirmare poſſint, *Nobis iſtic nec ſeritur nec metitur.* Ego verò ut illa cætera condonem *uſucapioni*, tamen intercedam pro *decimis*, atque hinc eos *jure manu* conſertum vocabo, qui ſecus ſentiunt, *decimam* proventus animi portionem æquitate ſummâ *Miniſtris* addictam eſſe; nec ulla *Baronum* ſive *Burgenſium centuriata Comitia* prudentiùs iſtâ de re ſtatuere poſſe, quàm jamdudum cautum eſt *lege ſacratâ*, quàm DEVS ipſe *Legiſlator* tam abſolutus, ut IVSTINIANVS nihil ad Eum, ante multa jam ſæcula promulgavit.

Difficili de re dicturus ſum, neque quiſquam eſt, cujus de lumine lumen accendam meum: quò magis veſtrum erit (*Graviſſimi Viri*) ſi effectum iſthuc dedero, quod facitis, id facere; ſin erratum uſquam fuerit, tum verò [c] πρωτοπείρῳ συγγνώμην (ut par eſt) indulgere.

[a] Pręclara facta

[b] Reddituum eccleſiaſticorum voratores avidi.

[c] Primo periculum facienti veniam.

annui

*Decimæ*

# *DECIMÆ non sunt abrogandæ.*

TErminos non explico. Quis nescit, quid sit *Decima*, de *decem* partibus *una*? Quis porrò dubitat, quid sit *abrogare*? vel quod fixum est Lege refigere? vel illius loco *stipem surrogare*? Hoc igitur agamus.

Plurimùm interesse puto, quod CHRISTVS fecit in causa *divortij*, *Qualis quæque res ab initio fuerit, id primùm inquirere.* Ætatis flexu multa mutantur: *Principium* judex certissimus. Quæro igitur, quis fuerit primus (ut ita loquar) *Decumanus*? Vir *magni nominis* MELCHISEDEK, *Gen. XIIII. XX.* ויתן לו מעשר מכל & *Hebr. VII. II.* ᾧ καὶ ΔΕΚΑ'ΤΗΝ ἀπὸ πάντων ἐμέρισεν ὁ ΑΒΡΑΑΜ. Accepit *Decimas* MELCHISEDEK ab ABRAHAMO; *gratuitásne* illas, an *debitas*? *Vltrò*, an verò *jure*? Si *gratuitas* & *ultrò*, nihili est argumentum, & *Apostolus Hebræis* imponit, dum confert cum illo *Levitas*. Ratio quippe dissimilis: *Levitæ jure* exigunt *decimas* suas, [i] ἐντολὴν γὰρ ἔχουσι: MELCHISEDEK suas, quia *voluit* ABRAAM, non quia *debuit*. Deinde si *gratuitum* erat hoc munus & *ultrò*, nihilo MELCHISEDEK ABRAAMO præstantior. Nam quid impedit, si demittere velim me & honorem *spontaneum* vel *inferiori* (si ita lubeat) exhibere? quin tantò major est *humanitatis* laus. Sin hoc utrobique absurdum est, *Decimas* ergo nuncupavit non *spontaneas*, sed de *jure debitas*. Iterum jam quæro de *jure*, *Quo jure*? Non *Sacrificij*; nullum enim obtulit: *Benedictionis* ergo. Cohærent enim ista: *Benedixit* MELCHISEDEK, *Decimas pendit* ABRAAM.

Iam assumo. MELCHISEDEKO *benedicenti debentur* Decimæ. Idem *jus* sub CHRISTO manet. Quî id constare potest? Ex *Ver. XII. VII.* ad *Hebræos*: Non fit μετάθεσις νόμου nisi μετατιθεμένης τῆς ἱερωσύνης, id est, *Ius* non *transfertur* nisi *translato Sacerdotio*. Atqui idem CHRISTI *Sacerdotium* & MELCHISEDEKI; (pro quo, si opus est, DEVS Ipse *jusju-*



[i] mandatum enim habent,

*randum* interponet, *Psalm. CX.*) Ergo *idem* ſub utroque *jus.* CHRISTO igitur debentur, in quo, & à quo, & per quem omnes *benedicti ſumus. Benedictus* Ipſe in ſecula. Quas æquum eſt, ut illi CHRISTI *nomine* percipiant, qui CHRISTI *nomine* nobis *benedicunt.* Fuit enim humana quoque MELCHISEDEKI *benedictio,* & quidem in CHRISTI tum *perſonâ* tum *nomine.* Manet ergo ſub CHRISTO *Decimarum jus.*

Non putavi quemquam tam infœlice genio natum, qui diceret, MELCHISEDEKO datas *Decimas* tanquam *Regi.* Reperi qui diceret; videte, quàm ſine cerebro. 1. *Levitæ jus* habent *decimarum:* Habent, tanquam DEI *vicarij*: ſic eſt: Sed nunquid DEI, ut *Rex* eſt DEUS? [f] ὢ πολυκοιρανίη! 2. *Decimas non ſubjungit* MOSES *Regio convivio,* ſed *benedictioni*; quod tamen factum oportuit, ſi *ejus nomine,* tanquam *Symbolæ* ſolutæ ſunt. 3. *Apoſtolus,* ex *decimis, non Regnum* aſtruit, ſed *Sacerdotium.* Poſtremò, quot *Interpretes,* tot *adverſarij:* vel *Rabbini* ipſi quorum ea eſt gloſſa [g] כי כהן היה *Decimas* dedit hoc ipſo *nomine,* quod *Sacerdos* eſſet. Vim videtis argumenti: & id quoque videtis, quod contra affertur, modis omnibus miſerè jacere.

[f] ô Regum multitudinem!

[g] quoniam erat Sacerdos,

Ab ABRAHAMO diſcedam; nec id tamen longè. Proxima mihi ratio erit à IACOBO, & ipſo quoque *Patre fidelium,* à quo & *Iſraëlis* DEI cognomen accepimus; & de quo, non dubitem, quomodo de SARA *D.* PETRUS, (*III.* 1. concludit) ὡς Σαῤῥα ὑπήκουεν, ut illa *obedivit,* itidem & vos. Is ergo *voti* ſe *reum* facit (*Gen. XXVIII. XXII.*) *Si fuerit* DOMINUS *mecum, &* cuſtodierit me, *dederitque mihi* panem *ad comedendum, &* veſtem *ad induendum, tum quicquid mihi* dederit, *ejus* decimam omnem *daturus ſum Illi.* Dabitis (ſcio) non eſſe hanc [h] ἐθελοθρησκείαν: *voveret* enim tum IACOBUS quod DOMINUS *devoveret.* Proin, *Divinæ voluntati* nixus: *Voluntatis* interpres *præceptum.* Porrò *præcepti* ratio neceſſe eſt ut iſta ſiet: Cui *hæc* DOMINUS cumque præſtiterit quæ IACOBO, is eâdem quoque DOMINO *lege* teneatur. Nam, ni ita ſit, incerta erit *præcepti* ratio, tum *præceptum,* dein *conſequentia*; *Votum* ipſum denique.

[h] voluntarium cultum

Sin

Sin hæc ratio ratione plena est, & (ut par est) [g] ἐπιείκεια ejus ad omnes diffusa: Ecquis homo est, qui indictam sibi hanc *legem* negabit, qui illa omnia & habere se à DEO, & accepta se DEO referre fateatur? [g] æquitas

Atque hæc *privato*, pro *solvendis* ratio esto: *Ministro* pro *recipiendis*, illa *Num. XVIII. v. XXXI.* â DOMINO assignata, *Liberum esto vobis* decimas *comedere* עבדתכם כי שכר הוא לכם חלף quia *merces* est *ministerij*: Vt est illa EZEKIÆ (*II. Chro. XXXI. IV.*) למען יחזקו בתורה. Vt *Legi Divinæ* operam impendant, Vtrobique conclusio hæc est, *Percipiunto* decimas: utrobique infirma, nisi *major* sit κατάπαύσις, Decimæ *sunt merces Ministerij*; Decimæ *sunt eorum*, qui *incumbunt Legi explicandæ*. Alioqui & IACOBI [h] אם, & MOSIS [i] כי & EZEKIÆ (h Si) (i Quia) [k] למען vacillabunt. Sin ita se habeant, omnino *Ministerij* (k Vt) *merces* sunt *Decimæ*: Omnes qui dant se *Legi evolvendæ*, decimas *percipiant*. Expedita ratio est.

Addo & isthuc quoque; cùm *benedictio facultatum* Medium sit IACOBI; *Ministerij merces*, MOSIS; *studium Legis*, EZEKIÆ; tria verò hæc perpetua sint nec loco circumscripta, nec tempore definita, sed tam ad *Christianos* spectantia, quàm ad *Iudæos*; eadem erit & *præcepti* conditio; Quando rectè prudentérque *Iurisconsultus*, *Qualis ratio præcepti, tale præceptum.*

Tertia succedet huic ratio ex *Malachiæ III.* ubi sancitur hujus *Præcepti* & observatio solenni *benedictione*, & *violatio* severâ *maledictione*. Ac *cæremoniæ* quidem si forent, quales eas quidam impensè cupiunt videri, abjicerent eas *Prophetæ*; nunquam tam sollicitè urgerent; frigere sinerent; nunquam tam de illis magnificè loquerentur. Non hic eorum mos est; quin, sive *curatæ* sunt, non tam *fausta* stipulari; sive *neglectæ* sunt, non tam *dira* denunciare. Ac ut ne cui hæc ratio frustra videatur, non aliâ quidem utuntur *Patres* in *Concilio Triburiensi Cap.* 13. Dandæ sunt *Decimæ*, ut hac *devotione* DEVS placatus, *largiùs* præstet quæ *necessaria* sunt: Non aliâ *Patres* in *Synodo Moguntinâ*, *Cap. XI.* Dandæ sunt *Decimæ*: Timendum est enim ut quisquis DEO *debitum* suum abstrahit, DEVS propter *peccatum* ejus abstrahat ei *necessaria*. Non aliâ gravis Author AVGVSTINVS (*Libro*

*L. Hom: Hom. XLVIII. Majores nostri copijs abundabant,* (est autem non perfunctoriè audiendum, quod dicit [*Majores nostri*;] Antiquiores ergo *Decimæ* AVGVSTINI sæculo :) quòd DEO decimas *dabant: modò autem quia decessit* devotio DEI, *accessit* indictio fisci. *Nolumus partiri cum DEO* decimas, *modò totum tollitur*: *Hoc tollit* Fiscus, *quod non accipit* CHRISTVS.

HIERONYMVM prætereo, quippe prolixum nimis, qui primus tamen argumentum hoc concinnavit in *Scholiis* suis ad *Prophetam.*

Atenim quia in proclivi labor est *decimas* sub *Lege* reperiendi, ac suspecta fides in hac quæstione *Testamenti veteris*; age, quæramus in *Novo*, & ubi iniquissima illis videtur dimicandi conditio, in eo pedem conferamus.

Objicio primùm illis MATTHÆI *Evangelium*, ad *Caput XXIII. versum* quoque *XXIII.* CHRISTI ipsius verba [k] ταῦτα ἔδει ποιῆσαι κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι. Locum hunc non ego (quorsum enim mihi assumam, quod meum non est?) *Ecclesia* vetus sic urget. Quas CHRISTVS ipse jussit μὴ ἀφιέναι *non omittere*, Scita Principum cavere non debent, ut omittantur. Assumptionem autem quis nescit? Tantò autem hæc ratio majores lacertos habet, quòd cum aliquot anteà in locis, de *manuum lotione*, de *spicarum confricatione*, alijsque *cæremonijs*, sermo primùm, pòst etiam praxis incidisset, omittit ipse non imprudens, omittentes defendit; quod magis mirere, etiam populo author est omittendi. Atqui de hac nostrâ, diserta verba sunt, [l] δεῖ μὴ ἀφιέναι.

[k] Hęc oportuit facere, & illa non omittere.

[l] oportet non omittere,

Etiam quod adhuc ponderosius est, cum esset Illi sermo de rebus omnium maximis gravissimisque, *misericordiâ & judicio*, eodem (ut ita dicam) *Paragrapho*, sanctionem ponit ut de illis *faciendis*, ita de istis *non omittendis*. Quid quæritis? *Ecclesiæ Primitivæ*, non facilè credat quis, quanti fuerit hæc ratio.

Duos ex infinitis evocabo. Pro *Græcorum Ecclesiâ* dicet alter; alter pro *Latinâ*. CHRYSOSTOMVS *Homil. LXXIII.* in *Matth.* verba CHRYSOSTOMI: *Meritò addit hæc* oportet facere; Eleemosyna *enim* decima *est*. Eleemosyna *autem*

*autem nocere non potest. Non enim sicut* Legem servantes *facere oportet; neque Ipse sic dicit: Sed* hæc facere oportet. *Antè enim ubi de* mundis *&* immundis *disputat, non adjicit illic,* hæc oportet facere*: Sed ea manifestò evertit. Propterea Fratres de* decimis *dicit,* hæc facere oportet, *de* purgationibus *autem non sic.* Verba, uti quidem videtis, paulò diversa; sensus non diversus.

Audite jam AVGVSTINVM, *Enchirid.* ad *Lauren. Cap. LXXVI. Væ vobis* Pharisæi, *qui* decimatis omne olus. *tanquam diceret: Ego quidem commonui vos ad* Eleemosynam *dandam, per quam vobis omnia* munda *forent; Sed væ vobis qui* decimatis olus. *Has enim novi* Eleemosynas *vestras, ne me vos de illis nunc admonuisse arbitremini.* Ac paulò pòst (molestum enim omnia interserere:) *Sed ne istas* Eleemosynas *quæ fiunt de fructibus terræ respuisse videretur,* hæc *(inquit)* oportet facere, *id est,* judicium *&* charitatem: ac *illa tamen* non omittere, *id est,* Eleemosynas fructuum terrenorum. Ego glossam istis non addo.

Brevitati studeo: unum illud admoneo (quanquam opus non est; advertistis, scio:) Vtrique tum CHRYSOSTOMO, tum AVGVSTINO, *decimas* ad locum *Eleemosynæ*, referri. Id alijs non videtur: Non valdè pugnabo: malo enim *sacrum vectigal* censeri, quàm *Eleemosynam.* Sed & locus hic satis tutus est, & illius beneficio hoc habent, ne *debeant* unquam *abrogari.*

Pergo jam ad quintum. Aut valdè me fallit animus, aut ex *D.* PAVLO concludi potest, esse *decimas* etiam sub CHRISTO retinendas.

*Ad Galat. Cap. VI. Ver. VI.* κοινωνείτω δ' ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσι ἀγαθοῖς [m]. Cum hæc verba audio ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, similis mihi sonus videtur, atque illorum ad *Hebr. VII.* Ἐμέρισεν δεκάτην ἀπὸ πάντων: [n] similis illorum ויתן מעשר מכל: [o] מכל, ἀπὸ πάντων, ἐν πᾶσι, quid interest? ut conjectura sit, nec illa levis, [p] παρῳδεῖν *Apostolum* ad illud *Geneseos*; tectè illam κοινωνίαν insinuare, quâ usus est ABRAHAMVS, *fidei suæ filijs*, per omnia, ubi & quantum datur, imitandus. Quid si autem sic? *Præceptum* illud quod vel optimè consulit [q] τῇ κοινωνίᾳ ἐν πᾶσι ἀγαθοῖς, *anti-*

[m] Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui ipsum catechizat, in omnibus bonis.
[n] Dividit Decimas omnium.
[o] Et dabit Decimas omnium.
[p] alludere
[q] participationi in omnibus bonis.

*antiquandum* non est; Istuc autem, quin sit *Sanctio* de *Decimis*, dubium non est. Per eam namque vera est, & (si per vos liceat dicere, dicam) *realis communio bonorum omnium*, tum *fructuum*, tum *fœtuum*, *terræ*, *plantarum*, *animalium*; vos ipsi apud vos, reliquam *inductionem* contexite. *Stipem* ejus loco ponite, *capite-censionem*, *taxationem ædium*; multi errores; pars celatur, pars subducitur; ausim dicere, [r] πάντα ἀγαθὰ οὐ κοινωνεῖται. Denique ut omnes cautelæ adhibeantur, *Communicatio pensionis*, *analogica* tantum erit: At ego jamdiu didici, & id cuique *natura*, *lex*, *ratio* suadet, ubi λόγος ipse manibus teneri possit, de *analogiâ* minimè laborandum: Quamobrem in *Pastoris* & *gregis* κοινωνίᾳ, si ipsa *Rei*, ipsa *communionis* veritas haberi possit ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς (& potest haberi;) *Stipendiarias* illas *proportiones* & *æquationes* non esse *consectandas*, (vel, hoc quidem leve nimis est) esse penitus *rejiciendas*.

[r] omnia bona non communicantur.

Porrò sexta esto hæc: Obligabat aliquando *Ecclesiam*, *Politica lex* ista *De Decimis*: negari non potest. Atqui irrita facta non est: *Obligat* igitur jam quoque. *Antiquata* quæ fuerint, docet *Apostolus*, *Eph. II. XIV.* Quæ erant tanquam μεσότοιχον, *intergerinus paries*, inter DEUM & *hominem* primò: 2°. Inter *homines* & *homines*, id est, *Iudæos* & *Gentes*. Priore membro excludimur; DEUS enim indixit *Decimas*: Illi ergo non displicent. Ac posteriore etiam: Pax enim summa, quoad *Decimas*; eásque tam *Gentes* suis *Sacrificulis* (uti statim edocebo;) quàm *Iudæi Pontificibus*, anniversarias pendebant. Reliquam verò *Politiæ* partem excipi, id argumento est, Quod censeatur à DAVIDE (*Psal. CXLVII.*) summi *Beneficij* loco: Et, quod nos CHRISTI *mors* ullo *beneficio* privârit, ægrè adducar ut credam. Tum si prorsus refixa esset, peccavit PAULUS in *regulas Iuris*, dum *1. Cor. IX. XIII.* à *Deuteron. XVIII. ver. I.* id est, ab *antiquatâ lege testimonium* arcesseret; verùm lis ista in aliam incurrit: non prosequor.

Illud prosequor ex *cap.* ad *Hebr. VII°. ver. XVIII°.* quod erit mihi pro argumento septimo: Et est locus, nisi fallor, ut pulcherrimus, ita quàm maximè appositus ad hanc *Controversiam*

*versiam.* Ἀθέτησις γίνεται τῆς προαγούσης ἐντολῆς, διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς ἢ ἀνωφελές. *Vetus lex* nulla *antiquanda* eſt, quæ neque *imbecillis* ſit, neque *inutilis*. Lex lata de *Decimis* [r] προάγουσα eſt: Oſtendat mihi quiſquam in eâ ſive [t] ἀσθενὴς ſive ἀνωφελὴς, manus dabo, & faxo, theſis hæc incumbat in ſpongiam. Illa verò τὸ ἀσθενὲς, vim habet, quantam habuit, habitura eſt, habere poteſt lex ulla, ab *Inventore, conſenſu, multitudine, conſuetudine*: denique non vel *mutâ* vel *tacitâ*, ſed tum *expreſſâ*, tum *teſtatâ* ſæculorum omnium *approbatione*. *Vtilitatem* habet: Eam enim, ſine cujuſquam querelâ præſtitit, cui rei deſtinata eſt: & quidem niſi eliſi eſſent illius *nervi* per *improprios* quoſdam *Proprietarios*, plenius præſtaret, neque ex hâc parte *Eccleſia* quicquam laboraret.

[r] Vetus:
[t] quod imbecille ſit, vel inutile,

Parte verò ex alterâ (quæ octava mihi ratio ſit:) quàm infœlici ſucceſſu *commutata* ſit apud quoſdam; Et ubi *ſtipendia* in *decimarum* locum ſurrogata; quot *fraudes, difficultates, querimoniæ*; quàm multæ ἀσθένειαι, ἀνωφέλειαι id demum ſuadere poteſt, ubi adhuc integra res eſt, non debere reſcindi; & ubi reſciſſa eſt, debere (niſi fortè nequeat) revocari. Pendit *Genevenſis* τεσσαράκοντα μνᾶς [u] perexiguum id quidem eſt: ſunt tamen CALVINI per *Commentarios* pleriſque in locis querelæ (modeſtæ quidem illæ, ut decet, ſed tamen canoræ ſatis:) de *ſtipendijs* ibi malignè perſolutis: In *VI.* ad *Galat.* In *XLVII. Gen.*

[u] quadraginta libras:

*Scotia* quoque ſoluta eſt *decimis*. Extat impreſſa IOANNIS KNOXI querela exhibita *Miniſtrorum nomine* in *Comitijs Edinburgi A. D. MDLXV. Decem. XXV.* Cum folium ejus *VIII.* lego, miſeret me illorum. Nihil addo, niſi quod pueri cantillant

——*Fœlix quem, &c.*

Prudentiùs multò illi, quos modò nominabam *Patres* iſtuc in ſe, atque in nos conſuluerunt. Ad eos venio. *Scripturarum* hoc ſatis eſt: Et nemo veſtrûm eſt (uti ſpero) quin *Eccleſiæ* totius *praxin* pro *argumento* non invitus admittat. Obiter illam antè attigi: nunc eò totus incumbo. *Totius* (inquam) *Eccleſiæ*: non muto quicquam, *Aphricanæ* primò,

mò; pro eâ Decus *Aphricæ* dicet AVGVSTINVS, *Serm. CCXIX. de Temp.* qui totus est ex professo de *reddendis decimis.* Sic orditur. *Propitio* CHRISTO (*Fratres Christiani*) *jam propè sunt dies, in quibus* messes *colligere debemus, & ideo gratias reddentes* DEO *qui dedit, de* offerendis, *imò de* reddendis decimis *cogitemus*: ( Et paulò pòst: ) Decimæ *enim,* ex debito offeruntur, *& qui eas dare noluerit, res* alienas *invadit.*

Unà & *praxin Ecclesiæ*, & *Patrum* ista de re sententias percipietis. *Ecclesiæ Italicæ:* pro eâ verò loquatur AMBROSIVS *Mediolanensis Episcopus, Serm. de Quadragesima,* (ut citatur *Decretorum Parte II. ca. XVI. q. II. VII.*) *Quicunque recognoverit in se, quòd* fideliter *non dederit* decimas *suas, modò emendet quod minus fecit. quid est autem* fideliter *dare, nisi ut nec* pejus *nec* minus *aliquando* offerant *de* grano, vino, fructibus, pecoribus, horto, negotio, venatione? *Nam qui* DEO non *vult reddere* decimas, *quas tenuit, & homini non studet reddere quod injustè abstulit, non timet adhuc* DEVM, *& ignorat quæ sit vera* pœnitentia. *Pro Occidentali* sufficiant *isti.*

CHRYSOSTOMVS pro *Orientali. Hom. IV.* in *Epist.* ad *Ephes.* Εἰ δὲ ἐπὶ τῆς παλαιᾶς τοῦτο ἦν, πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ τῆς χάριτος· τί γὰρ οὐκ ἐπῄνουν ἐκεῖ τοὺς δεκάτας; καὶ πάλιν δεκάτας παρεῖχον ὀρφανοῖς, χήραις, προσηλύτοις. ἀλλά μοι τις θαυμάζων ἔλεγε, δεκάτας δίδωσιν ὁ δεῖνα, πόσης αἰσχύνης τοῦτο γέμει, εἰ ὅπερ ἐπὶ τῶν Ἰουδαίων οὐκ ἦν θαυμαζόμενον, τοῦτο ἐπὶ τῶν χριστιανῶν θαυμαστὸν γέγονεν. εἰ τότε κίνδυνος ἦν τὸ δεκάτας ἀπολιπεῖν, ἐννόησον ὅσον ἐστὶ καὶ νῦν. Perfacilis est intellectu sententia; non reddo Latinè.

De HIERONYMO, incertus sum animi, cui *Ecclesiæ* ascribam; nec excludam tamen: Locupletissimus enim testis erit, ut

——— *qui mores hominum multorum vidit & urbes.*

Sic igitur ille *in III. Malach.* (Omitto enim *Epistolam ad* NEPOT. Vbi se dicit de *decimis* vivere :) Sic habet. *Quod de* Decimis *diximus, quæ olim dabantur à populo* Sacerdotibus, *ac* Levitis; *in* Ecclesiæ *quoque populis intelligite, quibus præceptum est, non solùm* decimas dare, *sed &* vendere omnia & sequi DOMINVM. *Quod si facere nolimus, saltem* Iudæorum *imitemur exordia, ut partem demus de toto, ac* Sacerdotibus debitum deferamus. *Quod qui non fecerit,* DEVM *fraudare*

*dare & supplantare convincitur, &* maledicitur *ei in* penuriâ *omnium.*

Rectè hoc (inquiunt) se habet: Sed *Ecclesia* pacata jam erat, & cœpit animum adjicere ad opes. Quid verò illa altera sub *cruce?* tot *Martyribus* gloriosa? Etsi iniquum est postulatum, ut nihilo meliore statu sit *Ecclesia* florens, quàm fuit afflicta, tamen nunquam hodiè effugient: Illuc me do. Idem semper sensit *Ecclesia* de *decimis*, & *persecutionem* passa; & *persecutione* liberata. Pro *Occidentali* loquatur CYPRIANVS (*Epist. LXVI. ad Furnit.*) *Quæ nunc ratio & forma in* Clero *tenetur, ut qui in* Ecclesiâ DOMINI *ordinatione* clericâ *promoventur, in honore* sportulantium fratrum Decimas *ex* fructibus *accipientes, ab* Altari *&* sacrificijs *non recedant.* *Pro Orientali*, ORIGENES antiquior CYPRIANO, *Hom. XI.* in *XVIII.* Numer. *Quomodò ergo abundat justitia nostra plus quàm* Scribarum *&* Pharisæorum, *si illi de fructibus gustare non audent, priusquam* Levitis DECIMÆ separentur, *& ego nihil horum faciens*, fructibus *terræ ita abutar, ut* Sacerdos *nesciat*, Levita *ignoret, divinum Altare non sentiat?* Concludit deinde, *Hæc diximus asserentes* mandatum *hoc* (de Decimis) *debere etiam secundùm literam stare.* Et ante ORIGENEM CLEMENS ALEXANDRINVS (*qui* propius abest à CHRISTO, & attingit penè primum Centenarium:) Στρωματέων λογ. β. Editionis *Veronensis*, folio 155.

Καὶ μὴν καὶ αἱ δεκάται τῶν τε καρπῶν καὶ τῶν θρεμμάτων ἀποβεῖν τὸ (διδάσκουσι) καὶ μὴ πάντας εἶναι φιλοκερδεῖς, μεταδιδόναι δὲ τῆς φιλανθρωπίας τοῖς ἱερεῦσι.

Credo hæc jam respondere posse etiam votis iniqui hominis ad instituta *Ecclesiæ* demonstranda. Sin id quisquam dixerit, singuli quidem sic senserint, *Singulorum* sententiæ subitæ sæpè sunt, & quod illis cerebri calor suggerit, id impingunt in chartam: nulla deliberatio, disceptatio, determinatio: In *Concilijs* insunt omnia hæc. Sequar provocantem; atque utinam illis stare teneantur.

Atque ut ab *Anglicano Concilio* ordiar, *Anno DCLXX.* & biennio pòst *LXXIII.* sub THEODORO, *Dorobernen.* In eo cavetur (*II. Canone*) de *Paræcijs*, quarum (si *Canonistis* credendum est) reciprocæ sunt *Decimæ*. Sed id adhuc magis,

quòd subscribunt per omnia *Chalcedonensi Concilio*, ubi *Decimæ* sancitæ sunt: Quæ duo evincunt satis, utrasque tum *Decimarum pensiones*, tum *Paræciarum divisiones* apud nos antiquitùs extitisse, nec tam esse recentes, quàm nonnulli nuper hallucinati sunt. Per id tempus *Moguntinum* quoque indictum est, cujus *Cap. VII.* sic habetur. *Admonemus atque præcipimus, ut* Decima *omnino* DEO *dari non negligatur, quam* DOMINUS *Ipse sibi dari constituit*: Additur & sanctio: *Qui verò* Decimas *post debitas admonitiones dare neglexerint, excommunicentur.*

*Matisconense II.* ducentis penè ante illud annis *Cap. V. Leges Divinæ præceperunt* Decimas *præstari, quas leges Christianorum congeries, longis temporibus custodivit intemeratas*; Et concludit: *Statuimus ergo ut mos* antiquus fidelibus *reparetur*; *Si quis autem* contumax *fuerit, à membris* Ecclesiæ *omni tempore separetur.* Ante illud *Aurelianense I. Cap. XVII. De* decimis *sic statuimus, ut singulis annis* quartæ, *vel* quarto *anno totæ* decimæ *cedant* Episcopo. Præterea *Toletanum II.* & *Arelatense III.* Ad *Chalcedonense* venio; de quatuor primis & præcipuis unum. De eo sic habetur *Cap. XIV.* Concilij Triburiensis: *Placuit huic* Concilio, *ut secundum sanctiones* Canonum, Decimæ, *ut & aliæ possessiones antiquis conserventur* Ecclesijs, *sicut in* Chalcedonensi *Sancto* Concilio *statutum est Cap. XVII.*

*Concilia* dixerunt; Re deliberatâ, disceptatâ, determinatâ dixerunt; stabilijsse se, non statuisse; confirmâsse, non conscripsisse, *Decimas*, prius illas *privato* consensu & *suffragio facti* (ut loquuntur) concessas, quàm iretur in *Concilium.* Nam *subscriptio* in primo *Concilio*; *Admonitio*, in secundo; Longa temporum *Præscriptio*, in tertio: *Conservatio* & sanctiones *Canonum* in quarto; *Ratihabitionem* potiùs designant, quàm *indictionem.*

Verùm enim jam de *jure* quæstio est, & inde *irrogandi* atque *abrogandi* leges petendæ sunt: Illuc ergo jam fugam adornant. Ego verò nec *jus* excipiam, aut *politiam* utriusque *Corporis*: Nam & inde, ad institutum hoc, paucula delibavi:

libavi: parcè id quidem ut decet *Theologum*; sed ad institutum nostrum abundè satis. Neque verò verendum nobis erit, ne quid de *Decretalibus*; religio est fæcem illam attingere. Pauca tantùm de *Decretis* ipsis *sanioribus*; & ijs quoque ante *Annum CCCC.* SYMMACHI *I. Decretum Cap. XVI. q.* 1. *Anathema sit, qui* Decimas *præter* Episcopi *consensum dispensare voluerit.* Itidem. ANASTASII *I. Communione privetur, qui* decimas *retinere voluerit.* *Decretorum* GELASII *Ca. XXIX. Quatuor autem tam de reditu* decimarum, *quàm de* oblatione *fidelium convenit fieri* portiones, *sicut jamdudum rationabiliter est decretum.* Quòd si, ut illarum *Legum periti* existimant, ἀντιστρόφως [a] sint *Parœciæ & Decimæ, Episcoporum stipendia & Decimæ, Clerus & Decimæ,* tum demùm ad CALIXTI *I. Epistolam secundam*, ad VRBANI *I. Epistolam primam*, ad ipsa IVSTINI MARTYRIS tempora, altiùs multò rem revocare possumus. Quanquam si nihil horum esset, tamen *Canon* qui est *Dist. XII.* (*Immota maneat Consuetudo, quæ contra Fidem Catholicam nihil usurpare cognoscitur:*) fultus etiam judicijs AVGVSTINI *ad* CASVLANVM, & HIERONYMI *ad* LVCIN. (qui, sicut *prævaricatores Divinarum legum*, ita *contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum* coërcendos putant:) satis valere potest, ut ne *abrogentur.*

[a] reciproca

*Civile* etiam *Ius* (ut satisfiat *Politicis* nostris;) tantùm abest, ut *abrogandas* censeat, ut immunes faciat ab injuriâ *præscriptionis*, quæ sola per se tamen alioqui irritas *leges* facit. Sic enim habetur *Lib. VII. Cod. Tit. de Præscriptione, lege* ANASTASII *I.* Decimæ DEO *mandante* Sacerdotibus *separatæ sunt, ut de* sorte DOMINI *viverent, qui in Ejus* sorte *connumerantur. Non ergo cujusquam* privilegio Laicis *concedi possunt, ne* Divinis mandatis *authoritas summa præjudicium inferat.* Atque etiam in *autenticis Tit.* eodem: Ita IVSTINIANVS. *Quod si* privatus Decimas, *sive* sine titulo, *sive* cum titulo *possederit, nullâ temporis* præscriptione *tutus esse poterit. Quæ enim ab initio* de jure *sortiri effectum non possunt,* tractu temporis *non convalescunt.*

Sunt & alia ad manum; sed pollicitus sum Brevitatem.

CÆSARES (ut audîstis) quæ DEI sunt, non censent *abdicanda.*

*Scriptura, Patres, Concilia, Ius* utrumque à nobis sunt: Iam, nisi *ratio* contraveniat, salvi sumus. Ad illam ergo tertio decimo loco venimus. Istic verò distinctè progredi oportet, atque unam hanc quæstionem in tria membra diducere: 1. Velítne *ratio certum* esse *Ministro stipendium?* 2. An ex *portione proventus annui* velit? 3. Ex *quotâ* velit?

1 In primo; res jampridem à PAVLO confecta est *1. ad Corinth. IX.* [b] Ἐξουσία τοῦ φαγεῖν καὶ πιεῖν καὶ μὴ ἐργάζεσθαι penes *Ministros.* Ratio: *Quilibet operarius mercede dignus*, sive suam ipse vitem incîdat, sive gregem alienum pascat. Denique *Bos ipse triturans os obligatum ne habeto.* Gradus hic unus est. 2[us]. Quòd si *quilibet operarius*, multò magis *Reipublicæ*: *Publicis stipendijs militat quisque, non suis.* Iuvandi à *Repub.* qui juvant *Rempublicam. Minister* autem, *Reipublicæ operarius* atque *adjutor* est. Gradus hic alter est. 3[us]. Quòd si alendus qui quovismodo utilis *Reipublicæ*; cujus illa in *æternis* & πνευματικοῖς [c] operâ utitur, is multò maximè; ac, si fieri posset, in *Prytanæo.* Nam omnis huic *merces* infra *meritum* est; nulla comparatio σπορᾶς πνευματικῆς & θερισμοῦ σαρκικοῦ. Quare, sine dubio *seminantibus spiritualia, carnalia debentur.*

[b] Potestas edendi & bibendi, & non operandi

[c] spiritualibus

2 Ad secundum membrum accedo, utrum ex *annuo proventu.* POSTELLVS Vir variâ eruditione, *Lib. III. Cap. X. De Orbis concordiâ*, ita censet. [d] φυσικὴν ἔννοιαν esse hanc, *Certa annui proventus portio* Sacrorum Ministris *dator.* Æquum *enim est & rationi consentaneum, ut sit* sacrum vectigal *quotannis, quo* DEO *litemus, ob incrementa rei* familiaris, *quomodò anniversariæ solennitates* gratitudinis *ergò solent exhiberi.* Huic quoque *ratio* favet: sed utrum id, ex *proventu terræ*, an verò *pecuniariâ mercede? Ratio* priorem mavult. In rebus enim creatis *imago, atque* (ut ita loquar) *superscriptio* DEI, ut in *numismate, Principis.* Ex *inscriptione, vectigal* distinguitur. Quare *Regum quindenæ*, & *subsidia* (quæ appellant) signata sunt. *Divinum vectigal*, non argentum aut æs humanâ imagine percussum; sed ipsius DEI, ut est in *creaturis* omnibus

[d] notionem à naturâ insitam.

*character*

*character potentiæ, Sapientiæ, misericordiæ Divinæ.* Inde ergo *Sacrum vectigal* esto.

Vultis aliam? *Ratio* vult, inde ut percipiat *mercedem* suam *Minister*, unde συντυχία, id est, *communio copiæ & inopiæ*, συμπάθεια, *communio gaudij* atque *mæstitiæ* popularis in eum redundare possit. Expedit ita se rem habere. Nutritur *annuo proventu: Sudum* est? alacer est, *gaudet*, psallit DEO non minus libenter, quàm quivis *agricola*; pars enim illi sua est, in illâ *serenitate. Tempestas* est? *suspirat*, ingemiscit, *preces fundit*, non minùs ardenter, quàm quivis *agricola*; pars enim *illi* sua est in illâ *tempestate*. Magnum *Naturæ*, magnum *Polititiæ*, magnum *Ecclesiæ* vinculum συμπάθεια conservatur. Ex adverso: Nutritur *stipe annuâ? Pluviæ* sunt *tempestivæ*; *Populus* lætatur; *Minister* non lætatur: Illi namque (ut initio dixeram) *nec seritur nec metitur. Siccitas* venit *intempestiva? Populus* flet; *Minister* non flet: Illi namque *nec seritur nec metitur*. Magnum *Naturæ*, magnum *Politiæ*, magnum *Ecclesiæ* Vinculum συμπάθεια solvitur. Non expedit sic. Quare potior est ea *Ratio*, quæ facit pro *terræ fructibus*.

Ad tertium progrediar: *Quota pars?* Decima. Ajunt, *positivum Ius* (sic enim loquuntur) *determinatio est Iuris Naturalis. Mortem homicidæ, Ius Naturale* decernit: *Genus mortis, Ius Positivum*. Itidem aiunt, *stipendium Ministro* decernit *Ius Naturale*; *Modum* seu *taxationem, jus Positivum*. Imò, in rebus *politicis* fortasse, *Positivi* est *limitatio*: In *divinis* autem, & *Ecclesiæ* descriptione, non damus. Quàm fuit de *Levitarum* victu sollicitus DEVS, tam est de nostro: Ibi, *Positivo Iuri* reservatum nihil; ne hîc quidem igitur. *Ratione* tota res potest transigi. *Levitis, jus* decimarum: At *Ministerium nostrum* (*II. Cor. III.*) ut est *naturâ* præstantius, *dignitate* eminentius, ita *usu* fructuosius est, quàm illorum. Et *plura*, & *majora* populus noster à *nobis* commoda percipit; debent itaque *majora*; *Ratio* statim dictat. Quis pudor est, *Christianos*, qui debent *maiora*, non solvere *paria*? Vberiores ergo fructus recipere possimus, si *Ratio* audiatur; tenuiores non possumus. 3

Verùm enim *Decima* omnes numeros habet *æquitatis*. A DEO delecta est; itaque non sine summâ *ratione*: quare,

re, nec sine summâ *ratione*, rejicienda. Quid contra affertur? Ratiuncula fortè una aut altera; *summæ rationis* imò *mediocris* P οὐδ' ὄναρ. *Æquissima* quoad *compositionem*. Rectè AVGVSTINVS: *Quid enim si diceret* DEVS, *Meus es, ô homo, mea est terra quam colis, mea sunt semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas. Meæ sunt pluviæ, meus Solis hic ardor. Hæc cum omnia mea sint, tu qui manum tantùm accomodas, solam* Decimam *merebaris. Sed servo tibi* novem, *da mihi* Decimam. *Si non dederis* decimam, *auferam* novem: *Si dederis* decimam, *multiplicabo* novem. Potéstne fingi oratio magis æqua?

P ne per somnium quidem.

*Æquissima* etiam quoad *persolutionem*: Ex *II. ad Corinth. VIII. XIII.* Tum enim res *æquissimè* dispensatur, cum non est unius ἄνεσις, alterius θλίψις. remissius uni, durius alteri. Id hîc fit, & exactè quidem. *Diviti* non parcitur; *Pauper* non *prægravatur*: quæ ferè querela est de *Principum Edictis*, Melius ibi *corvo* quàm *columbæ*. *Æquissima*, vel ipsâ *Naturæ luce*; *luce* (inquam) *Naturæ*, qualem ipsæ quoque *Gentes* habuerunt; id est, lege erasâ, obrutâ, deformatâ, non renovatâ. Quâ *lege* solvit ABRAHAMVS; non enim constitutione *politicâ*, (Cui id quisquam persuadeat?) ac nec *cæremoniali* aliquo *jure*: Non enim convenit *cæremoniæ* & *æterno Sacerdotio*, quale fuit MELCHISEDEKI. *Lege* igitur *Naturæ*. Verùm ad *Gentes* revertor.

*Votivæ* Decimæ apud *Historias* frequentes sunt. Non solùm à Viris *primarijs* in quâque *Republicâ*, PAVSANIA *Atheniensi*, AGESILAO *Spartano*, apud *Xenoph. lib. III. rerum Græcarum*; CARTALONE *Pæno*, CAMILLO *Romano* apud *Plutarchum*: Sed etiam à *plebeio* quovis, *Sticho* apud *Plautum*; à quolibet *patre-familias* apud *Plutarchum* in κεφαλαίων καταγραφῇ *q. XVIII.* Unde hoc? aut quis expedivit istis *mensuram divinæ portionis*? Quis illi *succenturiator* fuit, qui in scripta retulit *Octo partes esse familiæ*, *sex* impendendas, *duas* reponendas; *nonam sementis* in annum futurum; *decimam* θεῖον τέλος *Divinum tributum*? Quanquam *vota* apud eos non sola supersunt, nec *decimatio* hæc *voto* duntaxat, aut *subinde* tantùm; verùm solenni ritu *quotannis* usurpata est. Antiquos *Romanos*, ex agris & novalibus *decimam frumenti* pependisse, non contemnendus author narrat ALEXANDER

DER *ab* ALEXANDRO *Genialium Dierum lib. IV. cap. X.* Eundem *Ægyptijs* fuisse morem THEOPHRASTVS memorat, sub initium *VIII. de Plantis.* Eundem in *Siciliâ,* dum sui juris esset, nec adhuc *provincia,* DIODORVS *Siculus.* Atque adeo illum ipsum *Athenarum ritum* fuisse, ex eo convincitur, quòd qui pauperrimi erant de *Civibus* θῆτες dicerentur, idque à [θ] literâ, quæ nota est numeri *novenarij,* quòd ij, cum *novem* tantùm partes habere censerentur, à *Decimâ* immunes essent. Deinde has quoque *Decimas,* ex ijsdem colligi potest, nullis *stipendijs* destinatas, eorum quidem qui *munere* aliquo *profano* in *Republicâ* fungerentur, *religiosas* ab initio fuisse, quamdiu quicquam *religiosum* fuit; pòst abijsse in *lienem Reipublicæ.*

Quâ fide sit nescio; sed ita memini narrare MVSCVLVM *in* XIIII. *Genes.* In primordijs nascentis *Ecclesiæ, Idolorum Sacerdotibus* ademptum, atque in *Ecclesiæ, Presbyteros* translatum esse & *jus* & *usum* Decimarum. At id quidem certum est, δεκατευτήρια, & δεκατηλογία, etsi sæculis labentibus in *Regum* potestate fuerint, initio *Sacerdotum* fuisse. Nam cum initio ijdem *Reges* essent & *Sacerdotes* (ut *Plato* perhibet de *Regibus Ægypti,* & VIRGILIVS de ANIO——.

*Rex* ANIVS, *Rex idem hominum Phœbique Sacerdos*) transfuso pòst à se in alios *Sacerdotio,* tanquam tristi nimis & molestâ *conjuge, Decimas* tamen instar *dotis* sibi retinuerunt. Verùm id *more* tantùm, non *lege,* (ut est 1. *Sam.* 8. 15.) & *depravato* quidem *more.* Non enim *boni Regis* illa lineamenta sunt, sed *tyranni.* Quo magis eos miror, qui *Levitarum* Decimas partem esse volunt *hæreditatis Regiæ*; ac cùm in *Ecclesiam* collatæ sunt, suo tum *Principes* de jure discessisse. Verùm corruit hoc exemplo MELCHISEDEKI, qui & antiquitatem & fidem superat *historiarum* omnium: in quo cum persona utraque concurreret & *Regis* & *Sacerdotis,* Decimas tamen non *Regni* jure suscepit, sed *Sacerdotij.*

Peccarem in tempus ipsum atque vos, si reliquas istorum hominum ineptias proferrem in hæc subsellia, atque inde nec voluptas ulla vobis, neque causæ momentum accresceret. Etiam *Scriptores novos* non affero, eò quòd omnes penè

in

in ea ἀποπλάζειν, id est, summa sequi rerum fastigia, non totis viribus in causam incubuisse videantur. Quivis vel doctissimus vir, aliter est habendus, cum salutat quæstionem, & perstringit leviter; aliter, cum in manus sumit atque excutit. Ac etiamsi vel maximè afferrem, tamen res in æquilibrio penderet. Nam (ut mihi quidem videntur) LVTHERVS, MELANCTHON, BRENTIVS transirent in partem nostram: CALVINVS, MARTYR, BVCERVS irent in alia omnia. Quare reddam vos vobis: finis erit.

Dixerunt Testimonia pro *Decimis, Patriarchæ duo, Prophetæ* totidem; CHRISTVS, *Apostoli, Ecclesia* tota, *Patres, Concilia, Historiæ, Ius utrumque, Ratio, Rudera* & *fragmenta Gentium,* denique *Experientia* ipsa: quæ si vobis suffragij jus habere videantur, & idoneas rationes reddidisse, ite mecum in hanc sententiam; *Decimas non esse abrogandas.*

*FINIS.*

# REVERENDI IN CHRISTO PATRIS LANCELOTI EPISCOPI WINTONIENSIS

# RESPONSIONES

AD PETRI MOLINAEI EPISTOLAS TRES, UNA CVM MOLINÆI Epistolis.




*LONDINI*,
Excudebat *Felix Kyngston* pro *R. B.*
& *Andræa Hebb*. 1629.

# REVERENDI IN CHRISTO PATRIS LANCELOTI EPISCOPI WINTONIENSIS

# RESPONSIONES

AD PETRI MOLINAEI EPIS-
TOLAS TRES, UNA CVM
MOLINAEI Epistolis.



LONDINI,
Excudebat Felix Kyngston pro R. B.
[illegible] 1629.



# REVERENDISSIMO ANTISTITI, D°. EPISCOPO VVINTONIENSI PETRVS MOLINÆVS S. P. D.

MAgno quidem Ecclesiæ & Reipublicæ damno Amplissimus vir decessor tuus rebus humanis exemptus est: Amisit Rex serenissimus sapientissimum Consiliarium, & Ecclesia fidelem pastorem: ego verò patronum & amicum, qui cum esset mearum rerum studiosissimus, plus tamen virtute sua quàm beneficijs animum meum devinxerat. Habeo ejus literas quas ad me scripsit affecto corpore, & propemodum conclamata valetudine, quarum aspectus animum meum exulcerat. Hæc tamen acerbitas non parum est mitigata, quando audivi te in ejus locum esse suffectum, cujus pridem admiratus sum Doctrinam, & coràm expertus sum benevolentiam. Nempe Rex judicio acerrimus, non diu hæsitavit in eligendo. Iam designabaris successor judicijs omnium quibus Regis nota est prudentia. Id verò tibi & Ecclesiæ ac regno felix faustumque sit. Det tibi DEVS cum incremento honoris, incrementa virtutis crudamque ac vegetam senectutem: Vt Rex serenissimus diu utatur te suasore, et Ecclesia majores in dies capiat fructus tuæ industriæ & vigilantiæ.

Scripsi librum de vocatione pastorum, in quo quædam sapientissimi Regis animum pupugerunt, quasi adversa muneri Episcopali. Sed altrinsecus quidem nostrates non


obscurè conqueruntur, me Episcoporum causam egisse Aërium q; damnâsse, quod in re pridem & ubique recepta, ausus sit opponere sese consensui universalis Ecclesiæ. Molestéque ferunt me dixisse jam inde à proximis successoribus *Apostolorum* passim receptum fuisse in Ecclesia, ut inter presbyteros unius urbis unus aliquis emineret, & Episcopus vocaretur. Sed cùm plurima sint quæ Rex in meo libro transverso obelo confodit, quæ quidem sapienter, ut omnia, observavit, et incredibili ingenij acrimonia; tria tamen sunt quæ præcipuè eum offendunt. Primum est illud quod dixi, in Novo Testamento Episcopi & Presbyteri nomina promiscuè pro ijsdem accipi. Alterum est, quod assero unum eundémque esse ordinem Presbyteri & Episcopi. Tertium est, idque gravissimum, quod censeo Episcopalem [a] πρωτεῖον non esse juris divini, nec caput fidei, sed rem esse circa quam, vetus Ecclesia usa sit suâ libertate & prudentiâ, judicans præeminentiam unius esse accommodatiorem ordini tuendo & paci conservandæ: & posse inter Ecclesias super hac re discrepantes sartam esse integramque concordiam. Hæc quidem fateor à me scripta, quæ ne aliorsum trahantur, aut accipiantur in sequiorem partem, quæ sit super his mea mens, paucis accipe. Dixi equidem in Novo Testamento voces Episcopi & Presbyteri perinde accipi, sed non putaui inde imminui dignitatem Episcopalem, cum loquutus sim de solo nomine, non de solo munere: habeamque præter loca scripturæ disserta, consentientes, præter Presbyterum Hieronymum, celeberrimos Episcopos veteris Ecclesiæ, CHRYSOSTOMVM, AMBROSIVM, THEODORETVM, qui non putaverunt sibi fraudi esse, aut per hoc de sua dignitate quicquam detrahi, si voces Episcopi & Presbyteri primitùs eodem sensu usurpatas fuisse crederetur. [2] Ordinem vero Episcopi & Presbyteri dixi unum esse eundemque, sic enim semper sensit vetus Ecclesia, idemq; adhuc sentit Ecclesia Romana, quanquam in ea, inter Episcopalem pompam, & Presbyterorum sordes, incredibile sit discrimen. Inde est quod in Pontificali Romano, agitur de consecratione Episcopi, de ordinatione vero Episcopi nusquam. Nempe aliud est ordo, aliud gradus: possunt utique ejusdem ordinis homines differre gradu & digni-

[a] primatum

[2]

dignitate, quemadmodum & inter Episcopos eminentior est gradus Archiepiscoporum. 3 Episcopalem verò gradum & prærogativam esse juris Ecclesiastici, non verò divini; fateor à me dictum esse. Sed præterquam quod aliter loqui quàm sentiebam, non fuisset hominis cordati nec probi, tu pro tua æquitate facile judicabis, hominem Gallum viventem sub politiâ Ecclesiæ Gallicanæ, non potuisse aliter loqui, quin censuram nostrarum Synodorum incurreret, & sub intermi- natione [b] καθαιρέσεως ad palinodiam compelleretur. Nam cen- b deturbationis è gradu.
sere, Ecclesias nostras & errare in capitibus fidei, & in re quę sit juris divini, id sanè esset eis inurere notam hæreseos, & multorum infirmorum labefactare conscientiam. Ego verò ad scriptionem hujus Libri animum adjeci invitus, sic postulante Ecclesiâ nostrâ & jamdudum urgente, ad retundendam proterviam adversariorum, qui in hac quæstione nobis insultant intemperantiùs, & de nobis loquuntur ut de fungis recens è terra prognatis, & ut de tenebrionibus qui invaserunt suggestum per vim ac tumultum. Veruntamen puto me secutum esse hoc temperamentum, ut dum tueor nostra, vestra non convellam, nec [c] ἀμετρίᾳ ἀνθολκῆς in alteram partem plus c immoderato studio partium.
æquo propendeam. Neque verò mentionem uspiam feci Episcoporum Anglię sine honore. Hæc putavi scribenda ad te, vir maxime, cui imprimis cupio mea probari. Misissémque dudum librum meum, nisi accepissem à multis te Gallica non attingere. Nunc vero mitto, quia ex quo frueris propiori & frequentiori Regis aspectu, non dubito quin super hac re sit sermones aliquos tecum commutaturus & te adhibiturus judicem. Ego verò te judicem libenter feram, gnarus doctissimos quosque solere esse æquiores, & sperans te non resecaturum ad vivum quæ possunt leniri commodâ interpretatione. De me sic cogita, ut de homine apud quem semper magna erit authoritas antiquitatis, & qui mihi abundè videbor rectus adversus adversa judicia, si mea non prorsus improbaveris. DEVS te servet incolumem, Amplissime Antistes. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Nonis Septembribus. 1618.

*Tuæ Amplitudini devotus*
PETRVS MOLINÆVS.



## *Responsio Episcopi.*



Cripseram hæc ineunte Martio, & eram jam jamque missurus: cum ecce tibi, excussit ea de manibus mihi, atque missionem omnem turbavit adversa Regis valetudo: quæ ex animi mærore contracta primùm de obitu Charissimæ Conjugis suæ, Serenissimæ Reginæ nostræ, præque animi mœrore neglectâ corporis curâ, in morbum desijt; morbum autem adeò implicitum, ut nec Medici ipsi de eventu ejus satis certa responderent. Inde oblita mihi scriptio omnis, atque omissa missio. Eundum enim mihi erat in preces cum reliquis consternatis animo planè, utpote de Rege optimo periclitantibus. Sed respexit nos DEVS; atque Illum nobis, ac in Illo nos nobis reddidit. Ego redditus jam mihi, reddo tibi quod nimiùm diu debere me fateor; ut de ære hoc, nomine tuo, tanquam nomen vix bonum, à Domino *Beaulieu* appellandus fuerim. Accipies autem justam hanc nimis excusationem meam amicè, ut soles: atque à me perges expectare quæcunque hominis amici officia sunt.

DE libro tuo: Pupugisse scribis animum Regis in eo quædam. Nec mirum. Tener est Ei animus, & qui statim persentiscat quicquid est in hoc genere aculeatum. Nam, quâ est in DEVM pietate, infra curas suas non ponit pacem hic ordinemque Ecclesiæ suæ: Quâ est autem prudentiâ advertit statim tria hæc quò tenderent: 1 *Episcopi*

*copi nomen à Presbyteri non est distinctum:* 2 *Ordo non est distinctus*, id est, nec res ipsa: 3 *Totaque adeò res, divini juris non est.* Qui turbas hic nuper dederunt apud nos, quid aliud hiscere poterant? quàm, 1 *vocem confusè capi*; 2 nec *vel rem distinctam*; 3 denique *humanum inventum esse*; ab homine fixum, ab homine refigi posse: adeoque arbitrio Reipublicæ stare vel cadere. Nota hæc Regi nimis: Assuevit diu. Iamdudum aures Ejus voces istæ circumsonuerunt. Scit superesse hîc apud nos, qui arripient statim è tuis occasionem novam, non quidem convellendi (qui per tot sæcula radices egerit;) sed certè Ordinem hunc nostrum sugillandi.

Tantò autem hoc magis: quòd, uno eodemque tempore, non ex composito (credo,) sed tamen quasi ex composito, ecce tibi *Bucerus* quidam, nec læsus à quoquam nec lacessitus, eâdem quasi de re, tempore planè importuno libellum edidit Latinè. Quem ista Regem non feriant, pacis cupidum, non per Ecclesias modo suas, sed quam vellet etiam ac magni emeret, per totum (qua patet) Orbem Christianum? Quare si obelo notavit ista Rex, ne ægrè tibi sit: Audeo dicere, asteriscos multos maluit, (ad tua præsertim) quàm vel obeliscum unum appingere.

Regis autem hic animus, animus itidem (ut par est) noster est omnium. Qua in re appello æquitatem tuam. *Tueri vestra* voluisti, *adversariorum protervam retundere*: ni faceres, *censura tibi Synodi* incurrenda: ac vel *canenda palinodia*, vel *ὀστρακισμὸς* metuenda. Veniam damus: & quam damus, vicissim petimus: ut & nobis nostra tueri liceat, sicuti cordatos decet & probos. Sunt & nobis adversarij protervi: Sunt & apud nos conscientiæ, quas labefactari non patimur; quasi alio sub Ecclesiæ regimine vivant, quam quod ab initio fuit, &, vel ab ipso Apostolorum sæculo. Parati hoc, si opus sit, & si res ferat, Ecclesiæ toti manifestum reddere.

Quam vellem igitur, vel nostra ne attigisses quidem. Nam quis coegit? Poteras in hostes (quos dicis) tela convertere, nec nostra perstringere: non adeo nostra vestris implexa sunt, quin illa silentio præterire, factu tibi facillimum.

——*Est & fideli tuta silentio* ——*Merces*

Vel,

Vel, si omnino ferebat animus, ut aliqua de nostris immiscere velles: quam vellem, communicâsses cum Rege consilium tuum, & quid de suis (nostra enim pro suis habet) in animo haberes scribere, Regem, dum adhuc res ferebat & tempus, maturè consuluisses. Scis ipse, (nam postquam tam multa scripsit, tam miranda, quis jam nescit:) valere Illum, à cæteris literarum atque ingenij dotibus; à judicij autem, tum acrimonia, tum soliditate in primis, vel potius ante primos. Nemini mortalium sic explorata, sic in numerato sunt omnia nostra, ut Illi. Is tibi ulla de re, præcipuè autem de suis, optimè respondere potuit, &, quo prodire tenus, &, ubi non daretur ultra, metam figere. Quod si dehinc jam simili in genere quidquam moliare, fac quæso memineris consilij hujus mei, ab optimo in te animo profecti: qui sciam Regem optimè in te affectum, optimè de te meritum (nec tu negabis,) porrò etiam ut spero, meriturum.

DE tribus illis, si petis (ut petis) quid sentiam: depo-
I no hîc apud te, responsum ingenuitatis meæ. Accipi promiscuè nomina *Episcopi* & *Presbyteri* in sacris Literis: Initio, non ita vim magnam fuisse in vocibus, largiar tibi. Neque hîc, tam, quid dixeris, respicit Rex, quàm quorsum: quàm quid inde arrepturi, qui alibi, qui apud nos hîc, iniquiores sunt in hunc ordinem: perinde scilicet ista dici, quasi & res quoque. Quorsum enim hoc, aut quid attinet in distinctione rerum, de confusione vocum verba facere? Nomen ferè non vellicat, nisi qui rei ipsi, non omnino bene vult.

Nihil tamen Episcopis hîc contigit quod non & alijs:
I Nam, illis ipsis in locis, apud illos ipsos authores quos nominas, pari modo dicitur, & de *Diaconis*. [a] καὶ διάκονος ἐπίσκοπος ἐλέγετο διὰ τοῦτο γράφων τῷ Τιμοθέῳ ἔλεγε, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, ἐπισκόπῳ ὄντι. Inde colligas, *Episcopi* & *Diaconi* voces perinde accipi. Etiam Apstoli quoque ipsi, *Presbyteros* se alicubi, alicubi *Diaconos*, munúsque adeo suum διακονίαν vocant: nec tamen *Diaconus* vel *Presbyter* idem quod *Apostolus*: Quidni ergo & illud addidisti, ut appareat & reliquos hoc idem passos, quod

Chry. in Phi. 1. [a] Etiam & Episcopus Diaconus vocabatur. Vnde est, quod ad Timotheum scribens, dixit, *Tuam Diaconiam, (sive ministerium,) imple:* cum tamen ille esset Episcopus.

quod *Episcopi*: ac initio, non *Episcoporum* modo nomina, sed & aliorum itidem promiscuè habita, cum res tamen, cum munera ipsa, distincta fuerint.

Quid quod, quibus in locis illa dicunt, [b] τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν ὀνόμασι, medicinam statim faciunt, & monent aliter se rem habere, & subjiciunt statim: [c] λοιπὸν δὲ τὸ ἰδιάζον ἑκάστῳ ἀπονενέμηται ὄνομα, ἐπισκόπου ἐπισκόπῳ, πρεσβυτέρου πρεσβυτέρῳ. In normâ loquendi quis [d] τὸ κοινὸν urgeat, ubi jam [e] τὸ ἴδιον obtinuit. Neque enim quis Regem *Tyrannum*, aut militem *latronem* jam dicat: certè neque *Presbyterum*, *Episcopum*: ut cum illa scriberet *Hieronymus*, si se *Episcopum*, *Augustinum Presbyterum* appellâsset; ludibrium (scis ipse) debuisset audienti. 2

[b] tum enim erant nomina communia.
[c] Cæterum, proprium cuique nomen tributum est: Episcopi, Episcopo, Presbyteri, Presbytero.
([d] commune)
([e] proprium)

Adde quod, quibus in locis illa dicunt Patres, priusquam dicant, de nominum usu coguntur ἀνθυποφέρειν, & præmittere de re, quæ rem ipsam ponant extra controversiam. 3
[f] CHRYSOSTOMVS: [g] τί τοῦτο; μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν; οὐδαμῶς. Ne tum quidem, cum Paulus illa scriberet. [h] THEODORETVS: *Nec fieri quidem potuit, ut multi Episcopi essent unius civitatis pastores.* [i] HIERONYMVS: *Non enim in unâ urbe plures Episcopi esse potuissent.* [k] AMBROSIVS: *Deus singulis Ecclesiis, singulos Episcopos præesse decrevit.* Ut, munera vel tum distincta, apertè præ se ferant; quàm illud inferant, de nomine. Colligo: quicquid de nominibus initiò fuerit: neglexerint tum τὸ ἰδιάζον: at, vel tum, unicâ in urbe unicum modò Episcopum, unicum Pastorem fuisse. Apud nos hoc quidem hodiè obtinet: sed anne & apud vos? Hæc, si tu præfatus de re ipsâ, pòst de nominibus (quanquam quid attinet litem movere de nomine, ubi constat de re?) perinde aliquando (brevi quidem tempore) acceptis subintulisses, nec tam crudè illud de promiscuo nomine posuisses, loco illi Rex (credo) obelum non affixisset.

[f] Chrys. in Phil. 1.
[g] Quid hoc sibi vult? An ergo unius urbis plures erant Episcopi? Nequaquam.
[h] in Phil. 1.
[i] in Phil. 1.
[k] in 1. Cor. 12.

Proximum est de *Ordine*. Vbi, vide quæso an idem Ordo dicendus sit, cujus eadem non sint munia. Non esse autem eadem munia, vel qui minùs æqui hîc sunt, fatentur, dum *Ordinationem* semper excipiunt. Dein an unus idemque dicendus sit, ubi non sit una eademque, sed nova & diversa II

*manuum impositio*: Manus enim Episcopis impositas, in omni antiquitate, nemo (opinor) inficias iverit. Et, an hoc vetus Ecclesia senserit, ISIDORUS testis sit, qui disertè dixit *Ordinem Episcopalem*.

Etym.7.12.

Quod si ad Scholam rem revoces, illis inter se non convenit. ALTISIODORENSIS vester, *Major* noster, alij, pro *Ordine* sunt: Qui autem iniquiores, etsi non *Sacramentum Ordinis*, (cujus illi vim omnem ad Eucharistiam terminant;) at *Ordinem* tamen dant: cum haud aliud sit ordo quam potestas ad actum specialem, (puta Ordinandi;) qui ijs solùm competit. Quale enim hoc esset; à quo, Ordinatio ipsa, adeoque ordines reliqui procedunt, Ordo ipse non sit.

Nam Ecclesiam Romanam, aut *Pontificale* ejus non moramur: Si *Consecrationis* nomine delectentur, fruantur sanè. Olim aliter locuta est vel Ecclesia ipsa Romana: Sicut *Romanorum Ecclesia* (ait [k] TERTULLIANUS) *Clementem à Petro ordinatum edit*. Aliter Patres, (etiam quos ipse adducis:) vel [l] HIERONYMUS, qui *fratrem* DOMINI IACOBUM, *post passionem* DOMINI *statim, ordinatum Episcopum asserit*. & de TIMOTHEO; [m] TIMOTHEUS *gratiam prophetiæ habuit, cum Ordinatione Episcopatus*. [n] AMBROSIUS: *Neque enim fas erat aut licebat ut inferior ordinaret majorem*: (nempe *Presbyter Episcopum*.) [o] CHRYSOSTOMUS: *Non enim Presbyteri Episcopum ordinâssent*. Respondet enim voci χειροτονίας Græcæ Latina *Ordinationis*, ac per eam ferè redditur: nec ea χειροτονίας voce quicquam frequentius, ubi de Episcopis constituendis agitur. [p] THEODORETUS: TITUS *Cretæ ordinatus à* PAULO *Episcopus*.

[k] de Præscri.32.
[l] de Scrip.2.
[m] in 1.Tim.4.
[n] in 1.Tim.3.
[o] in Phil.1.
[p] Oecum. in præf. Tit.

Sed aliud (inquis) *Ordo*, aliud *Gradus*. Nôsti tamen, in Sacris Literis, voces has perinde accipi, non minùs quàm Episcopi & Presbyteri: ubi, Diaconatus, βαθμὸς dicitur (id est) *Gradus*; quem tu tamen Ordinem (scio) non negabis. Nôsti & apud Patres; apud quos sæpe legas, Diaconum, Presbyterum, (non minùs quàm Episcopum) βαθμοῦ ἐπιβῆναι. Omnis quidem ordo gradus est, non contra. Uterque autem hîc, sed aliter *Ordo*, aliter *Gradus*. *Gradus*, quâ superius quid vel absque potestate: Ordo, quâ potestas ad actum specialem. Nam si gradus duntaxat, πρεσβυτέρου vox satis fuisset,

1.Tim.3.

LL

iſſet, quæ gradum ſuperiorem deſignat ad πρεσβύτερον; nec aliunde Epiſcopi nova vox ad gradum merum fuit adhibenda. Nam de Archiepiſcopis alia ratio: Qui poteſtate nullâ præditi ſunt ad actum ſpecialem. Nam & ab Epiſcopis, χειροτονίαν accipiunt, ſi ante Epiſcopi non fuerint: Et ipſi, quâ Archiepiſcopi, ad χειροτονίας Epiſcoporum neceſſarij non ſunt: quin ex Canone 4°. Niceni, Tres q ἐξάπαντος ἐπίσκοποι χειροτονίαν ποιοῦσι. q Tres ſimul Epiſcopi, Ordinandi jus habent.

Atqui nos, *Apoſtolorum* & 72. *Diſcipulorum*, ſcimus, duos ordines fuiſſe, eoſque diſtinctos. Et id quoque ſcimus, paſſim apud Patres haberi ad eorum exemplum *Epiſcopos* & *Presbyteros. Apoſtolis* ſucceſſiſſe *Epiſcopos: Septuaginta duobus, Presbyteros.* Duos hos Ordines, in duobus illis à DOMINO conſtitutos. CYPRIANVS: *Meminiſſe autem Diaconi debent quomodo* Apoſtolos (*id eſt*) *Epiſcopos & Præpoſitos* DOMINVS *elegit. Diaconos autem poſt aſcenſum* DOMINI *Apoſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros.* Vel HIERONYMVS, *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent. Omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt* (ſcilicet *Epiſcopi.*) Et illuſtris eſt illius locus: tum illius, tum AVGVSTINI etiam, in *Pſal.* 44. *Pro patribus filij*, id eſt, *pro Apoſtolis Epiſcopi.* AMBROSIVS in 1. Cor. 12. *Caput itaque in Eccleſia Apoſtolos poſuit. Ipſi ſunt Epiſcopi, firmante illud* PETRO *Apoſtolo, Et Epiſcopatum ejus accipiet alter.* (& paulò poſt:) *Nunquid omnes Apoſtoli? verum eſt: quia in Eccleſia, unus Epiſcopus.* Et in Epheſ. 4. *Apoſtoli ſunt Epiſcopi.*

Ep. 65. ad Rogat.

Ep. ad Marcell. de err. Mon. Ep. ad Euag.

III

Hinc aditus nobis patefit ad ultimum, An hic Ordo *de jure divino.* Lætus autem lubens legi, *magnam apud te ſemper fore antiquitatis authoritatem.* Amo te de verbo hoc: Nec erit in minimis laudum tuarum, ſi dictis facta reſponderint. Ego quidem ſic ſenſi, ſic ſemper affectus fui.

At, aut valdè me fallit antiquitatis hiſtoria tota, aut viri non ſolùm *Apoſtolici* (id eſt) Apoſtolorum Diſcipuli, aut (ut eos EVSEBIVS appellat) ὁμιληταί, tum quorum in Sacris Literis mentio nulla, (ut POLYCARPVS & IGNATIVS;) tum quorum expreſſa ibi mentio, (ut TIMOTHEVS, TITVS, CLEMENS) & *Epiſcopi* fuerunt, dum in vivis adhuc Apoſtoli, &

ab Apostolis adeo, [o] POLYCARPVS à IOANNE, [p] CLEMENS à PETRO, [q] TITVS & [r] TIMOTHEVS à PAVLO constituti.

Sisto tibi testes: De POLYCARPO; [s] IRENÆVM, [t] TERTVLLIANVM, [u] EVSEBIVM, [x] HIERONYMVM. De Ignatio; [y] EVSEBIVM, & [z] HIERONYMVM. De TIMOTHEO; [a] EVSEBIVM, [b] HIERONYMVM, [c] AMBROSIVM, [d] CHRYSOSTOMVM, [e] EPIPHANIVM. De TITO; [f] EVSEBIVM, [g] AMBROSIVM, [h] THEODORETVM. De CLEMENTE; [i] TERTVLLIANVM, [k] EVSEBIVM, [l] HIERONYMVM: ut omittam de [m] LINO, [n] DIONYSIO, [o] ONESIMO, [p] EPAPHRODITO, [q] CAIO, [r] ARCHIPPO, de quibus paria itidem sunt Patrum testimonia. Nec his tantum; etiam MARCVS Evangelista; viventibus id autem & videntibus Apostolis: cum obiret MARCVS [s] NERONIS octavo; quinquennium totum ante PETRVM & PAVLVM martyrio coronatos.

[o] Hier. de Scrip. 17. [p] Tertul. de præscrip. 32. [q] Oecum. in pręf. Tit. [r] Hier. de Sc. [s] Iren. 3.3. [t] Tertul. de pręscr. 32. [u] Euse. 3.35. [x] Hier. de Scri. 17. [y] Euseb. 3.35. [z] Hier. de Scr. 16. [a] Euse. 3.4. [b] Hier. de scr. 9. [c] Amb. pręfat. in 1. Tim. [d] Chry. in Phil. 1. in pręfat. Tit. 3.4. ex Dionys. 1.2. & 1. Tim. 3. [e] Epiph. Hær. 75. [f] Euseb. 3.4. [g] Ambros. præf. in Tit. [h] Theodor. apud Oecum. [i] Tertul. de scri. 32. [k] Euseb. 3.14. [l] Hieron. de Scrip. 15. [m] Euseb. 3.4. [n] Idem. 3.4. ex Dionys. Corinth. & 4.23. Hier. de Scr. 19. [o] Euseb. 3.35. ex Ignatio [p] Theodor. in Phil. 1.2. & 1. Tim. 3. [q] Origen. in 16. ad Rom. [r] Calvin. Instit. [s] Euseb. 2.24.

Nec ille modò; etiam IACOBVS Apostolus. Testis de MARCO, [b] HIERONYMVS: de IACOBO, [c] EVSEBIVS (*ex Clemente & Hegesippo*) [d] HIERONYMVS, [e] CHRYSOSTOMVS, [f] AMBROSIVS, [g] EPIPHANIVS, [h] AVGVSTINVS.

[b] Hier. de Scri. præf. in M[r]. in marc. [c] Euseb. 2.1. 7.12. [d] Hier. de Sci. c. 1. [e] Chrys. in Act. 15. [f] Amb. in Gal. 1.2. [g] Epiph. Hęr. 66. [h] Con. Cresentium. 2.37.

Quemquamne igitur molestè ferre à te dictum, *Iam inde à proximis Apostolorum temporibus receptum id in Ecclesia?* minus dixisti: poteras enim plus, & (præeunte antiquitate) poteras: jam inde *ab ipsis Apostolis* receptum: ipsosque adeo *Apostolos* in *Episcopatu* constitutos. Nihil in eo dicto, quod molestè quis ferat, nisi illud fortasse, quod pro [*vocaretur Episcopus*] *esset Episcopus*, dicere debuisti. Nec enim de voce lis nobis; certamen de re cernitur.

Factum hoc: aut unicâ nobis liturâ obducendi Ecclesiasticæ historiæ scriptores. Quando autem factum? πρὸς τῶν τῶν σωτῆρος ἀνάληψιν [i] EVSEBIVS. [k] *Post passionem* DOMINI *statim*, HIERONYMVS. A quibus factum? [l] *Ab* Apostolis *in Episcopatu constitutos*, TERTVLLIANVS. παρὰ τῶν Ἀποστόλων, EPIPHANIVS. πρὸς τῶν ἀποστόλων τῆς κυρίου, [m] EVSEBIVS. *Ab Apostolis ordinatum*, [n] HIERONYMVS. *Constitutum ab Apostolis*,

[i] l. 2. c. 1. l. 3. c. 5. [k] de Scri. 2. [l] de pręsc. 32. [m] l. 3 c. 35. [n] de scri. 2.

*stolis*,q AMBROSIVS. Nunquis igitur neget IACOBVM, MARCVM, TITVM, CLEMENTEM, *Apostolico jure* fuisse Episcopos? An est Apostolicum factum aliquod *jure* non *Apostolico*? Apostolico autem, id est (ut ego interpretor) *divino*. Nec enim aliquid ab *Apostolis* factum, non dictante hoc ijs *Spiritu Sancto & Divino*. Eodem quidem (si ab *Apostolis*) jure, quo *Septem* illi, quos, vel tu dabis *divino jure*, fuisse. *Diaconos eos* S. Scriptura nusquam dicit, Ecclesiæ tantùm ea vox est. Spero, quod *Apostoli* fecerunt, *Divino jure* fecisse: neque negari posse, eorum *facta* (de quibus quidem constat) non dicta solùm, vel scripta, *diuini juris* fuisse. Nec quæ scripsit ad Corinthios modò; sed & *cætera illa*, quæ *Corinthum veniens disposuit*, (si de jis nobis liqueret) pari jure fuisse: *Divino* scilicet & hæc & illa, à *Spiritu Divino* utraque. Nec tamen, quia divini juris sunt, ideo *fidei capita* dicenda sunt. Ad *agenda* Ecclesiæ, spectant hæc: ad *credenda* autem aut *capita fidei*, non nisi impropriè, revocantur. q in 2.Gal. Act.6. 1.Cor.14.

Mirum verò, quod dicis, *vestrates de te conqueri, idque non obscurè: Tum quod Episcoporum causam egeris*; quasi Episcopis infensi vestrates sint; causam eorum agi nolint, cadere causâ velint: Tum *quod Aërium damnaris*, quem damnauit olim in Asiâ EPIPHANIVS, in Europâ PHILASTRIVS, in Africâ AVGVSTINVS; cujusque, toto Orbe, nomen in Hæreticorum nigro. Nec immeritò; ut *qui se consensui universalis Ecclesiæ* (ut ipse fateris) *ausus fuerit opponere*. Conquerendum de illis potius, qui ob hæc, de te conqueruntur.

Nam quod *resecari tua non vis ad vivum*: Nec id agit hic quisquam. Nam si resecet, hæreat vel in ipsa inscriptione; Sive vocem *Pastoris* spectes, sive *vocationis*. Novitia sunt, & *Pastoris* (hoc quidem sensu) & *vocationis* nomina: nec nisi postremi hujus seculi, ac nec illius integri. Nam quis (quæso) Veterum sic locutus est unquam? Apud quos, *Pastorum* nomen vix reperias adhiberi, nisi cum de *Episcopis* loquuntur: *quem loquendi* morem PETRVS eos docuit, cum *Pastorem & Episcopum* conjunxit in *Servatore*. Nec illos unquam legas indigitâsse voce hâc, qui in urbe, quive in agro, 1.Pet.2.

 plebes

plebes certas curabant παροικίαις distinctas: quin *Presbyteros urbicos*, aut [p] ἐπιχωρίους ab Episcopo ad id munus deputatos. Erant enim ab initio quasi in *familiâ* Episcopi, & vivebant sportulis (vti scis) ante post natam παροικιῶν distinctionem.

[p] rurales

*Vocationis* autem (quo tu sensu usurpas) æquè ignota vox. Pro qua, *ordinandi* aut *constituendi* voces adhibebant.

Ac ejusdem notæ nomen ipsum *Ministri*; quod illi, nisi de *Diacono* non intelligerent, ut est ea, ex Græco διάκονος nec aliunde petita, vox. Sed ignoscat tibi quis; loquendum tibi ex idiomate Ecclesiæ vestræ, quæ *Episcopos* nullos, *Presbyteros* alios, aliosque *Diaconos*, addo & aliam *vocationem* habet, quam quos prisca olim agnovit Ecclesia. Ego, cum Ecclesiis vestris, omnibusque adeo reformatis, honestissimè cupio, id cupio; cætera ut vobis constent fidei capita; at ut regimen ordinemque non alium, quam quem nobis largitus est DEVS, vobis quoque largiatur: nempe *Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum*, quales in Historiâ Ecclesiæ, apud Synodos, apud antiquos Patres: quibus, aut valdè me fallit φιλαυτία, aut nostri quam simillimi: ordine (dico) non merito, sed utinam, & merito. Nec ullam uspiam Ecclesiæ πολιτείαν magis ad mentem scripturæ, magisve ex more institutoque veteris Ecclesiæ, quam quæ viget hîc apud nos.

Depono hæc apud te, ut si placet tecum sint. Scias autem me [r] καὶ ἐκ φύσεως καὶ ἐκ προαιρέσεως pacis semper studiosum fuisse. Postulat autem hoc & ætas jam, cui propediem sarcinæ colligendæ: præsertim autem sub Rege, cui pro symbolo, *Servatoris* illud, *Beati pacifici*. Nec ad tristem partem unquam, aut consilia quæ moderata non sint, accessurum spondeo. Porrò tua quæcunque, quantùm potero, commodâ interpretatione leniturum. Nec enim fæliciùs nobiscum agitur, quàm cum AVGVSTINO olim, cujus illa vox, *Aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus.*

[r] Et naturâ & ex instituto

RE.

# REVERENDISSIMO PATRI, D°. EPISCOPO VVINTONIENSI.



MIsi ad te, Reverendissime Præsul, librum meum de vocatione Pastorum, cui addita erant litteræ, quibus conabar tibi satisfacere super quibusdam capitibus, in quibus visus sum Regi Serenissimo iniquior erga Ordinē Episcopalem. Quas litteras si accepisti, non dubito quin de me judices, ut de homine qui de vestro ordine honorificè sentit & loquitur. Non sum tam fastidiosè arrogans, vt velim me opponere toti antiquitati. Et rem quæ iam inde à seculo Apostolis proximo recepta fuit in Ecclesia, ut vitiosam aut improbam aspernari. Semper putavi, inter Ecclesias sub diversa politiæ Ecclesiasticæ forma viventes, posse sartam esse & integram concordiam: Dummodo CHRISTVS annuntietur, qualis proponitur in Evangelio, & fides Christiana maneat integra & illibata. Te verò inter homines tui ordinis semper feci maximi, multis de causis, quas malo apud alios quàm apud te commemorare. Cujus animi mei testem mitto librum novum, quem mihi extorsit Ecclesiæ cui servio voluntas, & Iesuitæ aulici proterva insultatio. Tu obsecro, mihi esto adjutor ad Regis animum mitigandum, ut apud se reputet & æquâ lance perpendat, nō posse esse locum in Gallicis Ecclesiis, pastori qui doceret, Primatum Episcoporum rem esse juris divini: sine qua non sit salvus, nec possit stare Ecclesia. Hoc asserere, nihil aliud esset quàm omnes

nostras

noſtras Eccleſias addicere Tartaro,& in meum gr egem damnationis ferre ſententiam. Quod ſi facerem, tu ipſe me cenſeres hominem improbè vecordem,& dignum ab omnibus conſpui. Sed de his [b] κατακόρως: nam apud virum ſapientem ſupervacanea eſt in re clara & aperta, nimis operoſa defenſio. DEVS te ſervet, & tuos conatus provehat, ut redundent ad Eccleſiæ ædificationem. Vale. Datum Lutetiæ. A.D. 16. Cal. Decemb. 1618.

[b] abundè

*Tibi addictiſſimus*

PETRVS MOLINÆVS.

*Reſponſio*



# Reſponſio Epiſcopi ad ſecundam Epiſtolam.

NOndum abierat veredarius, hærebat hîc ad diem unum atque alterum, atque apud eum interiores iſtæ literæ meæ, ſic, ut ſunt, obſignatæ: cùm ecce alteras tuas accipio, perferente eas DOMINO *Beechero* ex-Agente Regio, nuper à vobis reverſo. Repeto ſtatim priores meas, nec recludo tamen, ſed, ſicut erant, haſce illis ſuper-induco. Nolui enim committere, ut bis idem peccarem; quin potiùs, ut tarditatem prioris reſponſi, hujus celeritate compenſarem. Accipies igitur, cum primis, ſecundas hás: gratiaſque una meas de geminis tuis: ſed e δευτεροπρώτους quaſi, nempe in ſecundis hijs, primas jam; in primis illis, ſecundas (ut ſe res habet.) Gratias (inquam) tum de libro illo tuo jampridem miſſo: cum de poſteriore hoc, propediem (ut ſpes eſt) mittendo. Negabit enim D. *Beechereus* vel compactum adhuc (cum illinc diſcederet) vel certè ad ſe delatum: ac eo nomine acceſſit ad me ſeriùs: ſed juſſit porrò ſperare me, nec fruſtra fore.

e ſecundo-primas

De *mitigando* in te *Regis animo*, non eſt (mihi crede) quod labores. Nihil habet animus Ejus, quod mitigare opus ſit: habet fortè, unde magis adhuc magiſque conciliare poſſis; facturus operæpretium ſi id feceris. Feceris autem, ſi viam ineas, quam à nemine mortalium meliùs diſcas, quàm ab Ipſo. Ego verò libens agnoſco æquiorem te in res noſtras, pleriſque veſtrùm; quantò magis antiquitatem verſas, tan-

tò æquiorem: addo & æquiorem adhuc multò futurum, si te sineret Ecclesia vestra; utinam autem sineret. Illa, ut videtur, personarum vitia ad res transtulit, rerumque adeò legitimum usum propter abusum sustulit, paulatim hoc à vobis dedocenda. Cui dum tu morem gerere vis, morem ipse animo tuo non geris. Nam de animo tuo, ex calamo conjecturam facio. Adeo enim in nos propensus calamus tuus, ut scripserit (crede autem, te non invito) nostrum Episcoporum Ordinem, rem esse receptam in Ecclesiâ inde *à seculo Apostolorum*. Rectè autem hoc scripserat calamus: Id tu liturâ scilicet induxisti, (nempe τὸ *Apostolorum*) ac vicem ejus *Apostolis proximo* reposuisti. Credo autem hoc in gratiam Ecclesiæ vestræ. Ac verum illud quidèm quod reposuisti (*Apostolis proximo:*) Sed & illud non minùs verum, quod obduxisti. Fuit enim Ordo ille non à seculo modò *Apostolis proximo*; sed & ab ipso adeò *seculo Apostolorum*; aut nos tota fallit antiquitas, aut nulla superest historia Ecclesiæ fide digna. Totam antiquitatem à nobis esse nec ipse negas; an verò Ecclesiæ jam ulli plus deferendum, quàm antiquitati toti, ipse videris. Si te scio, quàm magis hæc ad te liberè ingenuéque scripsero, tam me magis amabis; ego te itidem paria mecum in hoc facientem. Audi ergo: nobis hoc satis non est, si non aspernetur quis nostram Ecclesiæ politeiam, ut rem vitiosam aut improbam: Id enim agimus, ut palam sit, & in confesso, eam esse apud nos Politeiæ formam, quæ quàm proximè accedat ad morem institutúmque Ecclesiæ priscæ, sive (ut tu concedis) *Apostolis proximæ*, sive (ut semel scripseras, & nos contendimus) ipsius *Apostolicæ*. Quin hic idem nobiscum sentias, nullus dubito: quod sentis, si per Ecclesiam vestram potes præ te ferre, rem nobis pergratam feceris; si non potes, rem non ingratam, si nostra igitur dehinc jam missa feceris. Quam enim viam ingressus es, vix erit ut & tuis placere possis & nostris non displicere. Nec tamen si nostra *divini juris* sit, inde sequitur, vel quod *sine ea salus non sit*, vel quod stare non possit Ecclesia. Cæcus sit, qui non videat stantes sine eâ Ecclesias: Ferreus sit, qui salutem eis neget. Nos non sumus illi ferrei: latum inter ista discrimen ponimus.

Potest-

Poteſt abeſſe aliquid quod divini juris ſit, (in exteriore quidem regimine,) ut tamen ſubſtet ſalus: nec tu igitur *addices tartaro, aut ſententiam damnationis feres in gregem tuum:* Non eſt hoc damnare rem, melius illi aliquid anteponere. Non eſt hoc damnare veſtram Eccleſiam, ad formam aliam quæ toti antiquitati magis placuit, (id eſt) ad noſtram revocare; ſed, ubi DEVS dederit, & res veſtræ ferent. De hoc ſi conveniat inter nos, cætera concordes erimus. Optamus autem non *ſartam integramque concordiam,* ſed integrè integram, abſque ſartura omni: quam & tibi in votis eſſe non dubitamus. Si quid porrò ſupereſt, remitto te ad priores meas: (Negotioſi enim hic jam ſumus:) Quas æquitati tuæ commendo. Commendo autem te meis; meque adeò tuis ad DEVM precibus commendatum cupio. Bene Vale. Londini pridie Idus Decemb. 1618.



# REVERENDISSIMO VIRO, PRÆSVLI DIGNISSIMO, DOMINO EPISCOPO VVINTONIENSI.



Iteras tuas accepi, Vir amplissime, refertas variâ eruditione, & plenas bonæ frugis, easdemque testes humanitis tuæ. Nam etsi videris paulò commotior, plurima tamen suavitas, quàm inspergis reprehensionibus tuis, erigit me in spem, fore ut de tua in me benevolentia nihil inde detrahatur, & te meam satisfactionem pronis auribus accepturum. Mihi quidem utile est & honorificum à te doceri, nec usque adeo sum excors, ut uelim cum viro tantæ dignitatis & doctrinæ contendere. Neque vero scripseram ut rescriberes: abundè enim mihi est, si meas literas grato animo accipis. Nec sunt mea scripta tanti, ut debeant tibi negotium facessere, aut te à gravioribus curis avocare. Si quid ergo perperam à me scriptum est, plurimum debeo meo errori, qui à te tam doctas, tam accuratas literas elicuit, quibus aurum non est contra, & quæ mihi, dum vivam, erunt pretiosissimum κειμήλιον.[a]

[a] depositum.

Veruntamen quia videris mihi in quibusdam capitibus meæ prioris epistolæ, mentem meam non assecutus, dabis veniam, si his literis conor eam tibi prolixiùs exponere.

I Dixi, in Novo Testamento, Episcopi & Presbyteri nomina perinde accipi.

II Dixi, Episcopi & Presbyteri eundem esse ordinem.

III Dixi, discrimen inter Episcopum & Presbyterum esse juris

juris Ecclesiastici, non verò divini. Hæc nolles à me dicta. Et multa affers in contrariam partem, doctè sanè & accuratè, sed quorum bona pars me non attingit. De singulis pauca.

Non is inficias quin Presbyteri & Episcopi nomina promiscue accipiantur in Novo Testamento. Sed quorsum hæc? inquis. Nempe putas me per hæc tacitè innuere, rem quoque esse promiscuam? Non enim vellicare nomen, nisi qui rei malè vult. Addis, Patres iisdem locis, quibus docent hæc nomina eodem sensu accipi, medicinam statim adhibere, & addere, id postea secus factum, & nomina, ut & munera, fuisse, & esse distincta. 1

Hic mihi perfacile est tibi fidem facere, noluisse me passivitate vocum ad confusionem munerum abuti. Ibidem enim statim adhibeo eandem medicinam, quam verè dicis à patribus adhibitam. Subjicio enim. Statim post tempora Apostolorum, aut etiam eorum tempore, ut testatur historia Ecclesiastica, constitutum est, ut in una urbe unus inter cæteros Presbyteros Episcopus vocaretur, qui in suas collegas haberet præeminentiam, ad vitandam confusionem, quæ sæpe ex æqualitate nascitur. Et hanc quidem regiminis formam omnes ubique Ecclesiæ receperunt. Hæc sunt ipsissima verba mea ibidem adjecta, quæ suspitionem illam tuam abundè diluunt. Egóne malè vellem ordini vestro, de quo nunquam locutus sum sine honore, utpote qui scio instaurationem Ecclesiæ Anglicanæ, & eversionem Papismi, post DEUM & *Reges*, deberi præcipuè Episcoporum doctrinæ & industriæ: quorum etiam nonnulli martyrio coronati, sanguine suo subscripserunt Evangelio? Quorum habemus scripta & meminimus gesta ac zelum, nulla ex parte inferiorem zelo præstantissimorum DEI servorum, quos Gallia vel Germania tulit? Hoc qui negat, oportet, vel sit improbè vecors, vel DEI gloriæ invidus, vel cerebrosâ stoliditate stupens, caliget in clara luce: Hanc igitur suspicionem à me amotam volo: Maximè cum videam CALVINUM ipsum & BEZAM, quos solent quidem suæ pervicaciæ obtendere, multas scripsisse Epistolas ad Præsules Angliæ, eosque affari ut fideles DEI servos, & bene meritos 2

Libri de Munere Pasterali p. 20. & 21.


tos

tos de Ecclesia. Nec sum usque adeo oris duri, ut velim adversus illa veteris Ecclesiæ lumina, IGNATIVM, POLYCARPVM, CYPRIANVM, AVGVSTINVM, CHRYSOSTOMVM, BASILIVM, GREGORIOS, NYSSENVM, & NAZIANZENVM, Episcopos, ferre sententiam, ut adversus homines vitio creatos, vel usurpatores muneris illiciti. Plus semper apud me poterit veneranda illa primorum sæculorum antiquitas, quàm novella cujusquam institutio.

II Venio ad alterum caput tuæ censuræ. Dixi eundem esse ordinem Episcopi & Presbyteri. Tu contra alium esse censes ordinem Episcopalem à Presbyterali, & in eam rem multa affers ex patribus, qui loquuntur de ordinatione Episcoporum. (Non pugno:) sic enim loquuntur veteres. Ac quanquam Pontificale Romanum voce hac abstinet, usi tamen sunt ea veteres Pontifices Romani: Leo primus, epistola 87. quæ est ad Episcopos Viennensis tractus, jubet, malè ordinatum Episcopum submoveri, & eadem epistolâ eandem vocem frequenter usurpat. Inter ordinem vero & gradũ hoc discrimen ponis, quod gradus superioritatem solam denotat, at ordo est potestas ad actum specialem. Ideóque omnem ordinem esse gradum, sed non vicissim. Probè. Nam etsi multi hæc vocum discrimina non observant, melius est tamen uti signatis vocibus, ut quæ re differunt, nomine distinguantur. Sed hæc mihi non obsunt. Debuisti enim cogitare quibuscum mihi res sit. Disputo adversus Pontificios qui septem ordines statuunt, Ianitores, Lectores, Exorcistas, Acolythos, Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros: Episcoporum verò ordinem aut characterem nolunt esse diversum a presbyterali. An potui cum eis differens, alijs vocibus uti, quam quæ apud eos receptæ sunt? An potui agere cum eis de ordine Episcopali quem nullum agnoscunt? An debui in eos invehi quòd Episcopalem ordinem non faciant diversum à presbyterali, cum ne id quidem faciant nostræ Ecclesiæ? Hoc qui faceret, non tam cum Ecclesia Romana, quam cum nostrate confligeret. Tum quid tantopere attinet inhærere vocum discrimini, cum omnis ordo sit gradus, & Diaconatus à PAVLO gradus appelletur, 1. Tim. 3. com. 13. nec possit Episcopus ordine moveri, quin

gradu

gradu excidat? Perpende obſecro verba mea: Omnis Epiſcopus eſt Presbyter & ſacerdos corporis CHRISTI: & de his Eccleſia Romana unum ordinem facit. Apparet ſanè me his verbis non aſſerere, quid debeat credi, ſed quid ſentiat Eccleſia Romana. Libri de munere paſtorum.pag. 144.

Hîc tamen occurrit aliquid quod ſcrupulum poteſt injicere. Omnem Epiſcopum eſſe Presbyterum apud omnes eſt in confeſſo: At Presbyter non eſt Diaconus. Hinc fit, alio genere diſcriminis differre Epiſcopum à Presbytero, quàm Presbyterum à Diacono. Cum ergo Presbyter differat ordine à Diacono, videtur conſentaneum, Epiſcopum à Presbytero ordine non differre.

Nec vacat dubitatione quod dicis, Ordinem eſſe poteſtatem ad actum ſpecialem. Nam multis ſine ordine datur poteſtas ad actum ſpecialem, ut illis qui extra ordinem, ad certas actiones peragendas delegantur. Tum negas Archiepiſcopi alium eſſe ordinem quàm Epiſcopi: Attamen Archiepiſcopus habet poteſtatem ad actus aliquos ſpeciales, veluti ad convocandam Synodum, & alia munia obeunda quæ Epiſcopis non licent: & quæ ne ipſis quidem Archiepiſcopis ſub Papatu permiſſa ſunt, niſi poſt acceptum à Papa pallium Archiepiſcopale. Tu pro tua ſapientia, vide an per hæc appareat, etiam per gradum ſine diverſitate ordinis, poſſe conferri poteſtatem ad actum ſpecialem.

Tertium caput ſupereſt: nempe id quod dixi, Epiſcopatum eſſe juris Eccleſiaſtici antiquiſſimi, non tamen divini: Tu contra pertendis eſſe juris divini, & in eam rem affers plurima exempla Epiſcoporum, qui ab Apoſtolis ipſis Epiſcopatum acceperunt, MARCVM, TIMOTHEVM, TITVM, CLEMENTEM, POLYCARPVM, IACOBVM ipſum Epiſcopum Ieroſolymitanum. Et magno numero citas Patres qui id aſſerunt. (Doctè omnia & ex veteris hiſtoriæ fide.) Sed quid tum? Si (inquis) ab Apoſtolis conſtituti ſunt Epiſcopi, planum eſt ordinem Epiſcopalem eſſe juris Apoſtolici, ac proinde divini. Hoc quidem eſt arcem cauſæ invadere. Sed axioma illud tuum, Omnia quæ ſunt juris Apoſtolici eſſe etiam divini, mihi videtur, (pace tuâ dixerim) pati aliquas exceptiones. Multa ſunt ab Apoſtolis ſtatuta circa III

politiam

politiam Ecclesiasticam, quæ non esse juris divini, ipsa Anglicana Ecclesia testatur, dum non observat. PAVLVS I. ad TIMOTHEVM cap. 5. vult creari in Ecclesia Diaconissas: at hic mos pridem exolevit. Idem I. ad *Corinth.* cap. 14. vult eodem cœtu, eâdem horâ, tres aut quatuor prophetare, id est, ut intelligit AMBROSIVS, Verbum DEI interpretari, cæteros verò de rebus ab illis pronuntiatis judicare: qui mos pridem desiit. Præceptum Apostolorum de abstinentia à sanguine & suffocato, a vetere Ecclesia per multa sæcula observatum est: Testes Apologetica TERTVLLIANI cap. 9. Synodus Gangrensis can. 2. Et TRVLLANA can. 67. & eadem de re, frequens mentio in Wormatiensibus & Aurelianensibus Concilijs. At AVGVSTINVS lib. 32. adversus Faustum, cap. 13. dicit hanc observationem à Christianis vulgo sperni, eosque qui adhuc tenebantur hoc scrupulo, ab alijs irrideri. Habes non modò Apostolorum, sed & ipsius Christi præceptum de excutiendo pulvere pedum adversus respuentes prædicationem Evangelij. An si quis hodiè inter Tartaros aut Sinenses poneret fundamenta Religionis Christianæ, teneretur hunc morem observare erga immorigeros? Quæ ad salutem & fidem pertinent, ab Apostolis statuta sunt afflatu divino, in cæteris, usi sæpe sunt suâ prudentiâ, ut innuit PAVLVS, I. Corinth. cap. 7. com. 25.

Ambros. in 4. ad Ephesios.

Scis quoque quoties afferuntur exempla Episcoporum ab Apostolis locatorum in gradu eminentiori, supra Presbyteros, quid vulgo soleat responderi. Nempe eos non obtinuisse hæc [b] πρεσβεῖα quà Episcopos, sed quà Evangelistas, de quorum supra pastores eminentia habes aliquid apud CHRYSOSTOMVM in 4. ad Ephesios. Quod quas vires habeat, malim tuo judicio stare quam cujusquam. Certè AMBROSIVS in eundem locum, Evangelistas facit inferiores sacerdotibus & sine cathedra. Quomodocunque tamen appellaveris TITVM, TIMOTHEVM, & MARCVM, seu Episcopos, seu Evangelistas, constat eos habuisse successores Episcopos, hæredes illius præeminentiæ.

b hanc eminentiam.

Censeo ergo, Ecclesias nostras peccare in jus divinum, ita

ita tamen ut eas non excludas à ſpe ſalutis, & putes ſub Eccleſiæ noſtræ politia poſſe ad ſalutem pervenire. Hoc enim in poſteriore tua Epiſtola ſubintuliſti, ut agas nobiſcum clementiùs. Veruntamen in prolixioribus tuis literis, nos hac in parte æquas Aërio, quem dicis hoc nomine meritò relatum à veteribus in hæreticorum nigrum. Hîc ego, Vir magne, æquitatem tuam appello. Cogita, in quas me cogis anguſtias. Nam ſi debui loqui ut tu autumas, oportuit me Eccleſiam noſtram inſimulare hæreſeos, quo facto, neceſſe mihi fuiſſet [a] συσκευάζειν, & res meas mihi habere, ſtationémque iſtam deſerere. Nec potui dicere [b] προστασίαν Epiſcoporum eſſe juris divini, quin Eccleſiis noſtris, quæ pro CHRISTO tantum profuderunt ſanguinis, notam hæreſeos inurerem. Enimvero obfirmare animum adverſus ea quæ ſunt juris divini, & DEO jubenti pertinaciter refragari, planè eſt hæreſis, ſive id fidem attingat, ſive diſciplinam. Sed & mihi evertendum fuiſſet illud principium, quo ſe maximè noſtra religio tuetur adverſus Papiſmum, quæ ſunt juris divini, in ſacra ſcriptura ſufficienter & evidenter contineri.

[a] ſarcinas colligere
[b] primatum.

Audio quid regeras. Tutius & honeſtius fuiſſe tacere de his rebus, quàm intempeſtivâ ſcribendi prurigine abripi. Sic enim factum eſſe, ut mihi neceſſe fuerit, vel noſtratem Eccleſiam, vel veſtratem offendere, fortè etiam utramque. Ego vero maluiſſem tacere: invitus enim ad ſcribendum animum appuli: nec ſcripſi niſi juſſus. Ieſuita ARNOLDVS, qui regi eſt à confeſſione, publicè pro ſuggeſtu in noſtræ Eccleſiæ confeſſionem coram Rege invectus eſt, & inſuper libro virulento eam proſcidit, in quo ſuper hac quæſtione mirificè exultat, & noſtram politiam Eccleſiaſticam odioſe exagitat. Hic liber per totam Galliam, per compita, per plateas, ad vocem præconis divenditus, multos gravi ſcandalo perculit. Sed & ante hæc, iſtâ quæſtione perſonabant pulpita, forum, curia, platea, & ipſæ tonſtrinæ: Hic campus eſt, in quo exultat quotidiana ingeniorum laſcivia; Quam avidè expectaretur liber meus, qui tantæ proterviæ iret obviam inde apparuit, quòd quatuor menſium ſpatio nouies prælo commiſſus eſt. Non potui ergo defugere

 hanc

hanc provinciam. Non fuit autem possibile pertractatè scribere de hoc argumento, quin ordirer à significatione vocum Episcopi & Presbyteri,& agerem de origine muneris. Ibi verò captâ occasione locutus sum cum honore de Episcopis Angliæ. Dignitatem Episcopalem repetij ab ipsis Ecclesiæ incunabulis: Aërium damnavi: Ipsum IACOBVM dixi fuisse Episcopum Ierosolymitanum, à quo longâ serie deducta est Episcoporum ejusdem urbis successio. Hoc unum nempe defuit quod Ecclesiam meam non dixi esse hæreticam, proculcatricem juris divini. Quod sanè nec potui nec debui: Immo si fecissem, tu ipse in me desiderâsses prudentiam.

1. corollarium. Hæc de tribus illis capitibus, quibus addis insuper [1] ἐπίμετρον, Nempe judicium tuum de lemmate mei Libri, quam inscripsi Galliæ, *De vocatione Pastorum.* Hæc nomina dicis novitia, & nemini veterum usurpata hoc sensu. Nomen quidem vocationis scio apud veteres infrequens, nec hoc sensu accipi. At nos Galli sic loquimur: quotquot enim ea de re scripserunt Galli, vel nostri vel Pontificij, utuntur hoc verbo: quod apud nos aliquid amplius quàm ordinationem significat, nam pro munere ipso usurpatur. Si Latinè scripsissem, posuissem hunc Titulum, *De Munere & ordinatione Pastorum.*

Pastoris quoque nomine nolles Presbyteros omnes verbique divini Ministros appellari: Hoc enim nomen solis Episcopis ais convenire (sic loqui veteres.) Hoc, Vir clarissime, si verum est, Ecclesiæ Gallicæ, Germanicæ, Belgicæ, Helveticæ, sunt greges sine Pastore. At PAVLVS Actorum 20. Presbyteros Ephesinos jubet pascere Ecclesiam, commate 17. & 28. Et PETRVS 1. Epist. cap. 5. Presbyteros qui inter vos sunt, precor—pascite DEI gregem qui in vobis, curam illius gerentes non coactè sed libenter; non turpis lucri gratiâ; quæ exhortatio ad sedulitatem & vitandum turpe lucrum, non dubium quin ad inferiores quoque presbyteros pertineat. Vt verò credam, eos non debere dici pastores quos DEVS jubet pascere gregem, à me non impetro. Quod si verbum DEI est pabulum animarum, non video, cur pastor non dicatur qui hoc pabulum subministrat.

niſtrat. Paulus ad Epheſios 4. hanc enumerationem texit munerum Eccleſiaſticorum; Dedit DEVS alios quidem Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores. Si per Paſtores non intelliguntur Presbyteri qui laborant in verbo, quos Miniſtros Galli vocant, non video quem locum poſſunt in hac Apoſtoli enumeratione obtinere. AVGVSTINVS Epiſtola 59. Paſtores & Doctores dicit hîc eôſdem eſſe. Idem cenſet HIERONYMVS in hunc Pauli locum. VINCENTIVS Lirinenſis hunc locum exponens, paſtorum nullã facit mentionem, quia nempe eos ſub Doctoribus comprehendit, quos vocat Tractatores, qui ſanè erant diverſum quid ab Epiſcopis. Solos autem Epiſcopos eſſe Doctores nunquam hactenus audivi. AMBROSIVS tantùm ab eo abeſt, vt putet Paſtoris nomen ſolis Epiſcopis convenire, ut etiam Lectores vocet Paſtores. Paſtores (inquit) ſunt, & poſſunt eſſe Lectores, qui lectionibus ſaginent populum audientem. Paſtoris nomen frequens eſt apud Prophetas, Eſ. 56. 11. Ierem. 10. 21. & 22. verſ. 22. & cap 23. verſ. 1, 2, & 3. Ezech. 34. 2. Zachar. 10. 3. Quæ loca quiſquis accuratâ judicij lance perpendet, comperiet ſub Paſtorum nomine non ſolos cenſeri Pontifices, aut capita Levitarum; ſed omnes Prophetas, & Levitas, quibus docendi munus incumbebat. In Epiſt. ad Epheſ. c. 4.


Sed me cupiditas tibi ſatisfaciendi, & materia ſequax ultra metas abripit. Nimiùm ſanè abuſus ſum tuo otio. Non erit tamen hæc opera male collocata, ſi per hæc cognoveris quanti te faciam, quàm ſim cupidus concordiæ, quàm vellem omnes Eccleſias reformatas, quas eadem fides ſociat, ejuſdem quoque politiæ Eccleſiaſticæ vinculo ſociari. Ingenuam verò meam libertatem, boni (obſecro) conſule: quæ ſane nihil detrahet de obſervantia & honore, quem me tibi debere ultro apud omnes ſemper profitebor. DEVS te ſervet, detque tibi vegetam crudamque ſenectutem; honoriſque ac felicitatis incrementa. Vale. Datum Lutetiæ. M.D.XII. Cal. Ianuarias. 1619.

*Tuæ Reverentiæ obſequio addictiſſimus*

PETRVS MOLINÆVS.



# RESPONSIO EPISCOPI AD TERTIAM EPISTOLAM PETRI MOLINÆI.



EGo verò ſerram ducere non didici; aut (quod perinde eſt,) reſponſa reciprocare. Ne, cum anni mihi meliores: Atqui jam, quæ ipſa per ſe morbus eſt, nec ſola tamen venit vnquam vel ſine morbis (ſenectus) aurem mihi vellit, atque excedere monet arenâ hac, & in eorum me numerum aggregare, quorum univerſum opus eſt oratio. Quia tamen, in velitatione hâc, idem nobis utriſque contigit, (nempe alter alterius mentem aſſecuti non ſumus;) facio non invitus, ut quomodo tu tuam mihi, itidem ego meam tibi mentem pleniùs, planiúſque patefaciam.

Leviſſimum id eſt quod primùm occurrit: planè enim non aſſequor quomodo fuerim *commotior*. Nec enim commoviſſe me quicquam memini de tuis; ne moviſſe quidem: præterquam quod tua quædam dixiſti, *Regis animum pupugiſſe*. Pupugit illa me fateor nonnihil, atque commovit pungendi vocula: Præterea, quod memini, nihil.

Fixerat ad Librum tuum obelos tres Sereniſſimus Rex. De obelis ijs ſcire à me voluiſti, quę mea mens, quid ſentirem: reſpondi, quod res erat, ubi fixus à Rege obelus, figi debuiſſe.

Notatus Regi primo locus *de vocum* (ita tu loqueris) *paſſivitate*. Ego meritò notatum dixi. Hîc, tu mentem

meam

meam aſſecutus non es : perinde enim accipis, *ac ſi* te *per illa tacitè* neſcio quid *innuere* dixiſſem. At id mihi in mentem non venit. Non dixi, quid tu ibi *innueres* ; ſed quid *alij inde arrepturi* : Arrepturi enim certè, quaſi innueres, quanquam non innuas ; ut homines ſunt, utque mentem habent. Equidem, perinde accipi voces illas, ac proinde vera fuiſſe tua, non eo inficias. Eo inficias, quæ vera ſunt, omnia paſſim abs quîvis homine, quovis tempore, libris literiſque tutò mandari. Spectandum enim, non tam quid ipſe ibi innuas, quàm quid inde alij arrepturi ſint. Moderandas nobis ſcriptiones noſtras, ex illo Apoſtoli, *non quod licet, ſed quod expedit.* Tu videris, an huius temporis lis iſta ; & an conſultò hoc à te factum, & annon expediat [a] ἐκκόπτειν τὰς ἀφορμάς, illis qui cupidè occaſionem arrepturi ſunt nova moliendi. Ego, fortaſſe, tuta timeo, ſed timeo tamen, ne occaſione illinc arreptâ, quæ apud nos hic conſanuiſſe videbantur, denuo fortè recrudeſcant. [a] Occaſiones præripere.

Nec unquam ea mihi mens, ne ſcripſi quidem, *id poſtea ſecus factum* : non eſt id poſtea factum, quod ab ipſis Apoſtolis factum eſt. CHRYSOSTOMI illud : *Erantne in unâ civitate plures Epiſcopi ? nequaquam.* HIERONYMI illud : *Non enim in unâ urbe plures Epiſcopi eſſe potuiſſent.* THEODORETI illud : *Ne fieri quidem potuit, ut eſſent unâ in urbe plures paſtores* : de quo tempore intelligenda ſunt ? Quando *non erant ?* quando *non poterant eſſe plures* iſti *unâ in urbe Paſtores ?* quandóne CHRYSOSTOMUS, HIERONYMUS, THEODORETUS vivebant ? imo, quando illud ipſum ſcribebat Apoſtolus ad Philippenſes. *Poſtea* ergo *factum* illud, dicere non poteram, quod illi, vivente & ſcribente Apoſtolo, factum innuunt.

Dixi factam ibi à Patribus medicinam. Tu, & à te *eandem factam.* Factam dabo ; ſed non ſanè *eandem,* nec eodem loco. 1 Illorum enim [b] προφυλακτικὴ fuit præmiſſa, priuſquam dicerent : tua, [c] θεραπευτικὴ modò, poſt vulnus adhibita. 2 Quod tu disjunctive ponis, ſcilicet, *aut ſtatim poſt Apoſtolorum tempora, aut etiam eorum tempore* ; id illi ita non ponerent : ſed quod res erat, citra disjunctionem ullam, aut membrum prius, non niſi ipſo Apoſtolorum tempore, atque ab illis [b] Quæ præveniret. [c] Quæ ſanaret.

 ipſis

ipsis factum. 3 Tum, nusquam dicunt, *constitutum* hac de re aliquid. Nec tu credo de historiâ mihi unquam leges ejusmodi aliquam διατάξιν. Constitutum quidem ab illis Diaconorum ordinem, in Actis legimus: de Presbyteris, de Episcopis, nihil quicquam constitutum est: jam ante enim in Apostolis Episcopos, in allectis septuaginta duobus, Presbyteros institutos à CHRISTO. 4. Nec, ut *vocaretur Episcopus* modò, quin ut esset. Titulares enim tum nulli: Nomen habebant è re; dicebantur quod erant, erant quod dicebantur. 5. Nec qui *in praeeminentiâ* modo quâdam; sed &, qui cum potestate esset. Potestate (dico) *manus imponendi, praecipiendi, accusationes recipiendi, corrigendi.* 6. Nec *ad confusionem* solùm, quæ ordini; sed &, ad schisma tollendum, quod unitati contrarium: nec ad duo modò hæc, sed & ad illa cætera, ad quæ illis potestatem factam esse diximus. Vides, aliter huic morbo mederi Patres. Voces illas, *Constitutum est, ut vocaretur, haberet praeeminentiam*, angustas nimis; addo etiam (si sinis) nimis dilutas, nec easdem cum illis, quæ, quam Patres fecerant medicinam, ingrediuntur.

Sed sciscitari tamen hîc libet, si *ex equalitate ferè nascatur confusio*, qui fiat, ut medicinâ vobis istâ nihil sit opus?

Tum si verum sit, *hanc regiminis formam omnes ubique Ecclesias recepisse*; quod omnes ubique receperunt, vestra cur non recipit? Cur tantum diversa abit ab Ecclesijs, quæ ubique tum fuerunt, omnibus? Verissimum enim id verbum est, ac vel asterisco notandum: *formam illam regiminis omnes ubique Ecclesias recepisse.* Nec ante hoc seculum ullæ usquam Ecclesiæ extiterunt, quæ per alios, quàm per Episcopos, regerentur.

Quare non erat causæ quicquam, *Vt diluieres suspicionem*, quæ mihi nulla hærebat, *velle te Ordini malè.* Nunquam id inducar ut credam, ut qui tibi per literas tuas asserenti credam, *conqueri de te vestrates*, quòd ei tam faveas ac bene velis. Equidem bene velle te, nullus dubito: sed fide tuâ magis adductus, quàm argumento.

Dilaberis enim hîc, ab Ordine, ad homines ipsos Episcopos; de quorum eruditione, industriâ, martyrio, multa

multa tu quidem præclarè. Sed (uti nosti) erant olim, qui tyrannum oderunt, non tyrannidem; quidni, & jam, qui Episcopum ament, non Episcopatum? Mitte verò homines: hominibus missis, dic de ipso Ordine. Nam, Calvinus ipse & Beza si *ad Præsules nostros scripserunt*, scito & ad illos pariter scripsisse, quos *pervicaces* dicis; ac proferri ab ijs illorum literas quas *obtendunt pervicaciæ suæ*, atque illud subinde regerunt, Calvini quid verba audiam, cum facta videam? Ordo enim ipse, si est, qualem videri vis, eum Episcopi, nec Anglicani meliorem, nec Hispani deteriorem reddunt. Admonui, de non transferendis ad res, personarum vitijs, déque dedocendâ vobis hoc Ecclesiâ vestrâ.

Ac de priscis illis, quos meritò dicis *Ecclesiæ lumina*, quísque ipsi erant Episcopi, etsi plus dicis, non tamen satis. Non enim satis hoc, *nolle te ferre sententiam aduersus eos*; *vitio creatos non fuisse*; *munus illicitum non usurpâsse*: termini diminuentes sunt hi, *nolle sententiam ferre, vitio non creatos, non usurpatores illiciti muneris*: dic clarè, dic quod res est, legitimè creatos, (si qui unquam mortalium legitimè,) & licitum inprimis munus administrasse: Ad eorum exemplum creandos hodiè nostros; munus idem nostris omnibus capessendum: hæc Ordinem rectâ petunt, ad hominem non sunt.

Sed quicquid de his sit, conclusionem tuam ibi non possum non laudare; nec asteriscum ei dubitem apponere, atque utinam ea totam nobis hanc litem concludat. Sic habet: *Plus semper apud me poterit veneranda illa primorum seculorum Antiquitas, quàm novella cujusquam institutio.* Vellem verò apud te, apud omnes, *plus posset* illa, plurimùm posset illa, *Antiquitas. Antiquitas* enim si obtineret, *novellæ institutiones* si exularent; causa certè tum Ordinis hujus minimè laboraret.

Secundus fuit Regis obelus, ac plurimùm meritò fuit, ad locum, ubi, *unum, eundémque* contendis Episcopi & Presbyteri *ordinem. Eundem* non esse, ostendi. Tum, quod non eadem munia: Presbyter enim non ordinat, ne HIERO-

NYMO quidem. Tum, quòd non eadem manuum impositio, sed in Episcopo, nova. Tum, quòd ex Patribus *Isidorus* disertè dicit, *Ordinem Episcoporum*. Tum denique, quod distincti à CHRISTO ordines isti duo in Apostolis, & Septuaginta duobus.

Hic tu adducis nobis Pontificalis titulum, de consecratione (non autem ordinatione.) Ostendi, aliter Episcopos antiquos, vel ipsius Romæ, aliter nuperos ejus Pontifices locutos. Apud antiquos, ordinationis vocem creberrimam esse, & celeberrimam.

Ad Scholam provocas. Monui, quo sensu Schola eundem dicat, vel non eundem. Eundem; quoad corpus CHRISTI, ad quod Ordines illi suos septem terminant. Circa corpus CHRISTI, tantundem facit Presbyter quantum Episcopus. Tu ipse hoc dicis: *De hijs quoad corpus* CHRISTI, *Ecclesia Romana unum ordinem facit.* Non eundem; nempe, si potestatem spectes ad actum aliquem specialem, quæ sit Episcopo peculiaris, puta ordinandi. Hæc est per Scholam totam Ordinis definitio, non mea, ut tu autumabas. Sed neque discrimen quod mihi pòst affingis: E Schola sunt utraque & definitio & discrimen. Hæc tibi, qui ad Scholam provocâsti, si Scholasticè loqui volebas, nunquam erant neganda.

Quorsum autem, *esse* tibi rem asseris, *disputare te adversus Pontificios, qui Episcoporum Ordinem esse dicunt diversum à Presbyterali?* Qui statim subjungis; *An debui in eos* (nempe Pontificios) *invehi quòd Episcopalem Ordinem non faciunt diversum à Presbyterali, cùm ne id quidem faciunt nostræ Ecclesiæ, hoc qui faceret non tam cum Ecclesia Romana, quàm cum nostrate confligeret.* Disputas ergo contrà, at invehi tamen non vis. Disputas contra Pontificios, & Pontificale tamen adducis. Disputas adversus eos: cum vestræ tamen Ecclesiæ hoc ipsum faciant. Nec asserere tamen vis, *quid debeat credi, sed quid sentiat Ecclesia Romana*: quæ idem sentit quod vestra; cui tu (credo) vis credi. Non ergo confligis cum Pontificijs: non enim tibi animus *cum vestrate confligere*. Religio tibi erit hoc facere. Vestra tamen Ecclesia, uti tu fateris, idem hic facit quod Romana.

*Melius*

*Melius esse* dicis, *uti signatis vocibus, ut quæ re differant nomine distinguantur*: eâdem tamen post paginâ, quasi subiratus, *quid* inquis *tantopere attinet, inhærere vocum discrimini?* Quid ergo attinet, signare voces, quæ nulli rei signantur, nisi discrimini. Hoc si nihil attinet, nec sanè signatis uti, nec omnino voces signare melius est; utendum est enim meliori, tum tibi tum nobis.

Cur vocum tamen discrimen hic rejicis? quòd *omnis ordo* (inquis) *sit gradus*. Quid tum? cum omnis gradus, non sit ordo, si vocibus signatis uti volumus. Diaconatus Paulo gradus est; idemque ordo apud omnes; at Archidiaconatus gradus est novus, nec tamen ordo.

*Nec possit Episcopus ordine moveri, quin gradu excidat.* Atqui gradu excidere potest, ut ordine non moveatur: omnino enim ordine moveri non potest. Post enim (quam dicunt) degradationem, manet potestas ad actum ordinis; cujus potestatis usus prohiberi potest, potestas ipsa tolli non potest.

Sed suboriuntur hîc tibi scrupuli. Scrupulus primus; quòd *Omnis Episcopus sit Presbyter*: verè id quidem & in confesso. At *Presbyter* inquis, *non est Diaconus*. Apud vos fortè non est, novellâ institutione. At apud *venerandam* illam (quam dicis) *antiquitatem* est: quin Episcopus adeo ipse Diaconus est. Lege apud CHRYSOSTOMVM καὶ διάκονος ἐπίσκοπος ἐλέγετο, διὰ τοῦτο γράφων τῷ Τιμοθέῳ ἔλεγε: τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, ἐπισκόπῳ ὄντι. ὅθεν καὶ νῦν πολλοὶ ἐπίσκοποι γράφουσι, συμπρεσβυτέρῳ καὶ συνδιακόνῳ.

a Etiam & Episcopus Diaconus vocabatur. Vnde est, quod ad Timotheum scribens, dixit, Tua Diaconia (sive ministerium) imple: cùm tamen ille esset Episcopus. Vnde & illud, quod hodiéque multi Episcopi ita scribunt, *Sympresbytero*, *Syndiacono*.

Lege apud AMBROSIVM in 4. *ad Ephes. Nam, in Episcopo, omnes ordines sunt; quia primus sacerdos est, id est, princeps sacerdotum.* Et ad 1. *Corinth.* 12. *Quamvis sint & Apostolo Prophetæ, quia primus gradus omnia subjecta habet.* Meritò igitur infero contrarium: *Quum non alio genere discriminis differat Episcopus à Presbytero, quàm Presbyter à Diacono, Presbyter autem ordine à Diacono differat; videtur consentaneum, Episcopum à Presbytero, ordine, differre.* Consensui quidem Antiquitatis consentaneum hoc semper est visum. Hæc te fugisse miror: religio enim est suspicari ignota tibi hæc,

tam cuivis obvia. Sed fefellit te Diaconatus vester, toti adeo Antiquitati incognitus, audeo dicere; ubi pars Cleri semper qui in Diaconatu.

Scrupulus secundus. Ordinem esse potestatem ad actum specialem, non à me dico. Schola hoc dicit tota; definitio est Ordinis, in Scholis, recepta: tu suggere, si aliam habes: nam, me aliam uspiam legisse, non memini. Hîc tibi scrupulum ingerunt, quos *extra ordinem* dicis *delegari, ad actiones certas peragendas.* Eximo. Qui enim, extra ordinem, delegantur, quid illis cum ordine? Postulat hoc, vel vox ipsa ordinis, ut de ordinariâ potestate intelligatur.

Scrupulus tertius: *Archiepiscopus habet potestatẽ ad actum specialem.* Quem? *convocandi Synodum.* Eximo. Non est actus hic Archiepiscopo specialis. Eundem enim actum exercet Episcopus: tam hic, in diœcesi suâ, Synodum convocat, quàm ille in provincia. Quanquam, si verè loqui volumus, convocandi Synodos neutri specialis actus est, nisi delegatus à Principe, cujus lege cautum est de Illicitis Collegijs. Tu, pro tua prudẽtiâ, nihil hîc quidẽ vides apparere, cur vel per gradum conferatur potestas, vel per Ordinem, non conferatur.

*Obelus tertius* est ad negatum Episcopatum, *divini juris* esse. Concedis, *Apostolici* esse: At tibi id non satis, vt sit divini. *Nec enim quæ Apostolici juris sunt, divini statim esse. Nec, vel apud nos, qui quædam quæ ab Apostolis statuta sunt, non observamus:* 1. Non enim *viduas.* Nullum ibi præceptum lego de viduis creandis: sed Epheso, sed, quæ viduas habebant, Ecclesijs, præceptum de earum ætate. Viduarum institutum cuique Ecclesiæ liberum. Non enim arctabantur viduas alere nisi quæ volebant; ne poterant quidem ali, apud tenuiores. 2 *Non morem illum de tribus aut quatuor eâdem horâ prophetantibus.* At extraordinarius planè mos ille fuit, & qui extraordinario dono desinente desijt. 3 *Non abstinere à sanguine & suffocato.* At hoc temporarium fuit, nec alio ab Apostolis animo statutum, quàm ut nondum sepultâ Synagogâ vim haberet; sepultâ, liberæ esset observationis. Primum hâc, non necessarium; secundum, non ordinariũ; Tertium verò temporariũ, nec perpetuum. *Ius divinũ* hæc non statuunt.

Quò, Apostolorum ne sit, etiam nec Christi præceptum

de excutiendo pulvere divini juris vis esse. At hoc præceptum non est. Sed si præceptum, divini juris. Non enim opinor dicis, Christum *suâ prudentiâ usum absque afflatu divino* hoc præcepisse. Nemo id vnquam [a] κατὰ ῥητὸν intellexit; vel hoc argumento, quod aliquando observatum, aliquando mutatum, aliquando penitus omissum. Non inquam, κατὰ τὸ ῥητὸν, sed κατὰ τὴν διάνοιαν [b]. Διάνοια autem fuit, habendos pro deploratis, sive adhibitâ eâ cæremoniâ, sive prętermissâ.

[a] ad litteram.

[b] Ex loquentis mente.

Sed parciùs ista tamen de *Apostolis sæpe prudentiâ suâ usis.* Periculosè enim, vel dicitur vel scribitur, Apostolos in quibusdam *afflatu divino*, in reliquis *suâ prudentiâ sæpè usos*; idque in ijs quæ scripta reperiuntur. Atqui, vel illum ipsum locum ubi κατὰ γνώμην scis ita concludi; δοκῶ δὲ κἀγὼ τὸ πνεῦμα Θεοῦ ἔχειν, ut vel illius γνώμη à Spiritu Dei dictamen suum habuerit. Locus autem ille quem citas, si non afflatu divino, sed humanâ prudentiâ scriptus, notandus nobis pro apocrypho. Quid ergo, Indicémne conficimus atque expurgamus Novum Testamentum? Separandum enim nobis pretiosum à vili. Nunquam mixta stabunt quę prudentiâ humanâ, cum ijs quæ afflatu divino dictata sunt.

Etsi autem in jure & more Apostolorũ, satis sit ponderis, ad causę hujus arcem statuendam, meministi tamen, altiùs repetere me ordinum distinctionem hanc, nempe à Christo ipso Servatore, in Apostolis, & Septuaginta duobus: Apostolis successisse Episcopos; Septuaginta duobus illis, Presbyteros, passim apud Patres haberi, ac planè in confesso. Laudavi CYPRIANVM; *Meminisse autem Diaconi debent, quomodo Apostolos (id est) Episcopos, & Præpositos Dominus elegit, Diaconos autem post ascensum Domini Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.* Septem quidem illos Actorum 6°. ab Apostolis; Nullos autem Presbyteros, nisi ad Septuaginta duorum; nec Episcopos nisi ad suum ipsorum exemplum institutos. Habet ergo vim suam atque nervos Ordo hic, non ab Apostolis solùm, sed vel ab ipso Servatore.

Vis arcessam adhuc altius, vel è Veteri Testamento atque ipsâ adeo Lege divina? Facit HIERONYMVS: *Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas ex Veteri Testamento, quod* AA-

RON *& Filij eius, atque Levitæ, in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, Presbyteri, atque Diaconi, vendicant in Ecclesiâ.* Facit AMBROSIVS, utrobíque in 1. ad *Cor.* 12. & 4. ad *Ephes.* de Iudæis loquens; *Quorum* inquit *traditio ad nos transitum fecit.* AARONEM mitto, ne quasi CHRISTI typum rejicias. Filijs eius Sacerdotibus, nonne in singulis familijs suus נשיא id est prælatus, sive ut alibi dicitur פקיד .i. Episcopus; Gersonitis, *Num.* 3. v. 24. Kaathitis, v. 30. Meraritis v. 30? Nonne vivente adhuc patre suo, ELEAZAR ibi נשיא נשיאים quasi dicas Prælatus Prælatorum, vers. 32. qui & alibi נגיד פקיד quasi dicas Archiepiscopus. Sunt ergo in Lege נשיאים, כהנים, לוים, In Evangelio Apostoli, Septuaginta duo, Septem illi, *Act.* 6. In Apostolorum praxi de duobus illis sumptâ, Episcopi, Presbyteri, Diaconi. Ne verò, ne putes, Apostolico solùm: si est in Evangelio, si est in Lege divinum jus, utrobíque non sine exemplo est, utroque nititur. Aut ergo in regiminis formâ divinum jus non est, ac tum Amstelodamo bene sit, quot ibi humanæ prudentiæ, totidem fient Regiminis formæ: Aut sic illum, in tribus illis jus est, à nobis est.

Ad levem jam armaturam tuam. *Scire me, ad illa de* TIMOTHEO *&* TITO, *quid vulgò soleat responderi.* Adde & scire me vulgò malè multa responderi. Sed quid vulgò respondetur? *fuisse Evangelistas.* Quis hoc asserit? Vel vulgus, vel qui has in vulgus ambiguas voces sparserunt, ex novella alicujus conjecturâ. Nemo enim hoc veterum dixit, historia nulla testis est. At testis est historia, TIMOTHEVM & TITVM Episcopos. Dicunt hoc EPIPHANIVS, CHRYSOSTOMVS, AMBROSIVS, HIERONYMVS, THEODORETVS. Evangelistas, ante ætatem nostram, nemo unquam dixit, scripsit, somniavit. Vulgare hoc responsum, vulgare commentum est.

At Evangelistæ fuerintne superiores Episcopis an verò inferiores, nihil ad nos; cum Evangelistæ hi omnino non fuerint. Quis hoc dicit? CHRYSOSTOMVS. Moneo autem corrigere eum quæ diffidenter ibi dixerat de Evangelistis. Nihil enim ex loco illo qui est ad *Ephes.* 4°. colligi posse de cujuspiam [b] προτιμίας. Sed ex Epistola alia petendum nempe ex 12. prioris ad Corinthios, ubi illa sunt. πρῶτον, δεύτερον, τρίτον.

[b] honoris prærogativâ.

At

At ibi Evangeliſtæ nuſquam comparent. Tum, quos tu cum vulgo Evangeliſtas haberi vis, TIMOTHEVM & TITVM, abeo inter Paſtores poni τοῖς ὁλόκληρον ἐμπεπιστευμένοις ἔθνος, non autem Evangeliſtas. Evangeliſtæ illi AQVILA & PRISCILLA: ut mirari ſubeat quid tibi illius loci nominatio fuerit. Nam è PAVLI loco 2.*Tim.*4.5. Si CHRYSOSTOMVM audis, tam Diaconum facies TIMOTHEVM ex πληροφορίᾳ διακονίας quam Evangeliſtâ ex opere Evangeliſtæ. Ne tu ergo nobis ſic diſjunge, *ſeu Epiſcopi ſeu Evangeliſtæ.* Evangeliſtæ, nemini fuerunt niſi quibuſdam heri & nudiuſtertius, quibus *novella inſtitutio* magis arridet, quàm Veneranda *Antiquitas.* Credimus Antiquitati? Epiſcopi fuerunt, Epiſcopos ſucceſſores habuerunt; hæredes tum præeminentiæ tum poteſtatis ſuæ.

Quæris tum peccéntne in jus divinum Eccleſiæ veſtræ? Non dixi. Id tantùm dixi, abeſſe ab Eccleſijs veſtris aliquid, quod de jure divino ſit; culpâ autem veſtrâ non abeſſe, ſed injuriâ temporum. Non enim tam propitios habuiſſe Reges Galliam veſtram, in Eccleſiâ reformandâ, quàm habuit Brittannia noſtra; interim, ubi dabit meliora DEVS, & hoc quoque quod jam abeſt, per DEI gratiam ſuppletum iri. At interea Epiſcopi nomen, quod tam ſæpe in Sacris eſt, abolendum non fuiſſe. Quanquam, quid attinet abolere nomen, retinere rem. Nam & vos rem retinetis, ſine titulo; & illorum uterque quos nominabas; dum vixerunt, quid erant, niſi, abolito nomine, reipsà Epiſcopi: Quando ut ille, apud Poëtam optimè; vix quiſquam eſt qui optaret——

τύραννος εἶναι μᾶλλον, ἢ τυραννὰ δρᾶν c.

c Tyrannum eſſe ſe potius, quàm tyrannica committere.

*Relatum inter hæreticos Aërium* (& meritò) qui EPIPHANIO credat vel PHILASTRIO, vel AVGVSTINO, neceſſe eſt fateatur. Et tu qui damnas Aërium quo nomine damnas? an *quod ſe oppoſuerit conſenſui univerſalis Eccleſiæ?* Idem qui ſentit, annon itidem ſe opponit, ac eo nomine damnandus erit? Sed ſicubi erratum, dum non obfirmato animo, alia longe cauſa ejus qui ſentit quod ſenſit Aërius, alia Aërij. Ne tu ergo ad tragica illa diverticula *[illegible]tendi Tartara, ſententiam damnationis ferendi in Eccleſiam noſtram tanquam juris divini proculcatricem.* Nihil opus. Expende tantùm quæ dicuntur, placidè.

placidè. Vovere ut ſit aliquid, non eſt devovere ſi non ſit: voti nuncupatio, non eſt *damnationis ſententia*. Deſiderare aliquid quod ſit *juris divini*, non eſt *jus divinum proculcare*. Abſit modo animus obfirmatus & pertinax, hæreſis non erit: At ſi hæreſis ſit (circa ea quæ Diſciplinam attingunt) non erit inter eas quas dicit PETRVS *αἱρέσεις ἀπωλείας* [b].

[b] perniciosas hæreses.

Abſit autem ut in *vllas* ego te cogam *anguſtias*. Neque enim tacere volui te ſic à Ieſuita *laceſſitum*. Scribe verò, omnino ſcribe: ſcribens tamen, ſic tua tuere, ut quæ, aliena non dico & nihil ad te; imò quæ te aliquantum attinent (cùm noſtra à te aliena non ſint) ne reſtringas. Et en latū hîc tibi campum, in quo ingenij vim (quod habes ſanè eximium) poſſis exerere. Omnino autem ne ſperes poſſe te [c] *ἐπαμφοτερίζειν*. *Tui de te conquerentur*: Noſtri defenſione iſtâ non egebunt: vtrinque peribit tibi gratia.

[c] medium & ancipitem te gerere.

Etſi autem *evidenter hæc ſatis in Sacris Literis contineantur*, ſi cui oculus bonus ſit: tamen nec *principium illud* ſic habet ut à te poſitum. Non enim *quæ ad jus divinum*: ſed quæ ad fidem pertinent moreſque vivendi; quæ, ad *jus divinum* non adæquantur.

Poteras verò poteras (quod tu dicis) *pertractatè ſcribere*: ſi inde exorſus, non ubi *voces promiſcuæ*; ſed ubi (cùm res ſemper diſtinctæ) vocum quoque diſtincta eſſe cæpit ſignificatio. A vocibus æquivocis, *confuſis, promiſcuè habitis, poſſibile tibi fuit*, nec ulla te neceſſitas inde impulit ordiri.

Tum & occaſione abſtinere divertendi ad nos. *De Epiſcopis inſtitueras*: dicendum erat de ijs, deque ipſo munere. De Angliæ, quid attinet? An id licitum facit Anglia, quod extra Angliam illicitum? Abuſus hominum (ubi ubi gentium fuerint) taxandi ſunt: munus ipſum (quacunque tandem regione) idem eſt; à ſe, in ſe, de ſe legitimum eſt: nec ſi Epiſcopi boni non ſunt, Epiſcopatus ipſe non bonus. Imo: ſit Epiſcopatus, ne ſint Epiſcopi, niſi nomini reſpondeant.

Sed hîc tamen aſteriſcum (ſcio) apponeret Rex. Cùm *Epiſcopatum repetis ab ipſis Eccleſiæ incunabulis*: Cùm IACOBVM *ipſum agnoſcis Epiſcopum fuiſſe Hieroſolymitanum, & longâ ſerie ab eo deductam inibi Epiſcoporum ſucceſſionem*. Cùm

*Aërium*

*Aërium* iterum jam *damnas*. En, habes, pro tribus obelis asteriscos totidem. Verissima enim hæc sunt,& ex veterum sententiâ,vel Irenæi,qui veterum agmen ducit: *Agnitio vera est Apostolorum doctrina,& antiquus Ecclesiæ status in universo mundo secundùm successiones Episcoporum, quibus illi, eam quæ in unoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt: quæ pervenit usque ad nos.*

Quæ post addidi de *vocationis* nomine novo, adeóque de *Pastorum*(quomodo vobis in usu sunt.) *De vocationis,* non negas infrequens esse; usus (credo) [k] μειώσει: adeo enim infrequens, ut planè nullum. Vocatio quidem pro munere interdum; pro ordinatione,haud unquam. Sed neque de *pastorum,*diffiteris: nec enim ullum affers, vel à priscis illis, vel ab ijs qui ante nos nati, *pastorem* dictum, qui idem Episcopus non fuerit. Tantùm nescio quæ congeris, sed præter rem omnia: ut nec in hijs mentem meam assecutus videare. Nam quid si omnia tibi dē,quæ affers? *Greges vestros non esse sine pastore* (uti vobis illum indigitare visum est;) ut illa de PAVLO,de PETRO, de *Prophetis,* vera sint omnia: quid hæc ad me? qui id aio tantùm,sic loqui Veteres,nomenclaturam illam Antiquitatis non esse? Eò ergo te revoco,ut apud Christianos Veteres, apud priora secula, de eorum scriptis edoceas,adhiberi nomen *Pastoris,* ubi de Episcopo non loquuntur: adhiberi (ut à vobis) cum de Parocho. Hoc à te impetra: nihil enim egeris, ni hoc egeris.

[k] exteuuatione.

Vide tamen quid valeant quæ attulisti. Nam PAVLVS ibi *Presbyteros* pascere non dicit: id dicit, *in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos pascere Ecclesiam* DEI. PAVLI ergo *Pastor Episcopus.* Et ne Episcopi nomen ibi putes appellatiuè poni,non propriè; (quasi dicas, *curam gerentes.*) En tibi SYRVS ipse Græcam vocem retinet, cum linguæ tamen SYRÆ,non desit vox quæ *curam gerentes* exprimat.

PETRI verò etiam. Locum enim PETRI mihi *dubium est,* ad *inferiores Presbyteros pertinere.* Addit enim (uti scis) ibi ἐπισκοποῦντες, ut & ille τὸ ἐπισκοπεῖν coniungat cum τῷ ποιμαίνειν. Vocem sanè non moror. Quod ibi sequitur [*non dominantes in Cleris*] evincit planè quibus illa scripsit PETRVS, κλήρους habuisse in Cleris,alioquin κατακυριεύειν τῶν κλήρων in illos cadere nō potuisse.

Quare

& PETRI Pastor Episcopus est. Quis hoc autem ambigat, cum istarum vocum conjunctio à PETRO ipso primùm orta sit?

Quod enim infers *Verbum Dei pabulum esse, pascere ergo qui hoc subministrent*: dabo tibi *pascere* illos, nimirum βοσκεῖν, at non ex eo ποιμαίνειν, unde nomen ποιμὴν (uti nosti) id est Pastoris, qui præter pabulum & alia quædam subministrat.

Quæ autem de loco ad *Ephes.*4. adducis, vel incerta sunt, 1 Alter enim *Pastores & Doctores eosdem* esse vult. 2 Alter *Pastorum nullam facit mentionem*. 3 Alter *Lectores putat esse Pastores*. Dicam de singulis 1 AVGVSTINO Pastor & Doctor non aliter ijdem, quam nobis paulò ante, Ordo & gradus. Omnis Ordo gradus, at non gradus Ordo. Itidem Pastor omnis Doctor, sed non recurrit. Quis hoc dicit? HIERONYMVS. 2 De illo, qui nullam mentionem facit, nec ulla mihi mentio. Monachi ferè, Tractatoribus quàm Episcopis magis propitij. 3 De AMBROSIO, qui in *Apostolis Episcopos*, in *Prophetis Presbyteros*, in Evangelistis Diaconos intellexit, nihil mirum si res illi redijt in Lectores, cum præter eos non haberet, post illos tres, ad quos referre possit. Vel incerta (inquam) vel, ubi certa, contra te. Vt apud CHRYSOSTOMVM: Pastores ille definit, quibus ἔθνος concreditum est: An sic vestri? & apponit qui fuerint, Vt TIMOTHEVS (inquit) & TITVS, quorum uterque Episcopus CHRYSOSTOMO: tibi etiam plus (credo) quam *Presbyteri laborantes in verbo*.

Restat, quod de Prophetis delibasti: *quorum loca si quis perpendat accuratè, comperiet sub Pastorum nomine non solos censeri Pontifices, sed & Prophetas, & Levitas quibus docendi munus incubuit.* Certè comperiet. Adde etiam, comperiet Principes quoque in Repub. viros, ac Magistratus, sæpè, imò sæpius multò Pastorum nomine comprehendi, quàm illos unà omnes quos posuisti. Sed nos Principes tamen Pastorum nomine non appellamus. Nec Genevæ (credo) *Pastor* dicitur, qui magistratum gerit. Prophetarum igitur *Pastor* huc non attingit. Dic quis ita Veterum locutus sit unquam: alioqui, extra oleas sumus.

Postremò visa est illa mihi mira planè oppositio: *Apud Veteres*

*teres quidem non eſt*; *at nos Galli ſic loquimur.* Anne enim Veteribus ut Galli; an verò Gallis ut veteres, loquendum eſt? Atque ad eundem poſt ſcopulum allidis, *Presbyteri qui laborant in verbo, quos Miniſtros Galli vocant.* Mirum enim quî Gallis licuerit nomen indere Presbytero, quod apud veteres nemo vnquam niſi de Diacono uſurpavit. Non eò dixi, quin & apud nos malus iſte mos inoleverit, *Miniſtros* ita nominandi, adeoque & *Paſtores.* Sed per eos invectæ voces hæ, quibus novella inſtitutio magis ſapit: ſed invitis illis invectæ, quibus *Veneranda Antiquitas*, & (quâ datur) reclamantibus. Suſtinemus enim (ut dixi) quædam, quæ non docemus; & toleramus, quæ tollere non poſſumus. Sed qui tolerat, non amat, etſi tolerare amat.

Habes ad tua, quantum per negotia mihi fas. Fœlix enim otij non ſum. Etſi autem nullam non libenter de tuis; at nullam libentiùs legi clauſulam, quàm ultimam illam profeſſionis tuæ, *quàm ſis cupidus concordiæ, quàm velles Eccleſias omnes reformatas, quas eadem fides ſociat, ejuſdem quoque Politiæ Eccleſiaſticæ vinculo ſociari.* Quod & mihi in votis eſt vel maximè: proque eo ſupplex quotidiè DEVM veneror, *ejuſdem vt Regiminis formâ ejuſdem Politiæ vinculo ſocientur.* Sed *ejuſdem, quæ repetit originem ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, à quâ veneranda primorum ſæculorum Antiquitas, cui qui ſe opponit, toti ſe Antiquitate opponit; quam* IACOBVS *Apoſtolus in Eccleſiâ Hieroſolymitana inchoavit, à quo longâ ſerie deducta eſt Epiſcoporum ſucceſſio; quæ Aërium damnavit, quòd auſus ſit opponere ſeſe conſenſui univerſalis Eccleſiæ, quam omnes ubiq; Eccleſiæ receperunt.*

Deſcendo ad gratias. Quem enim mihi librum pollicitus es, brevi poſtea quam ſuperiores meas ad te dederam, redditus mihi eſt. Simul hîc agnoſco, ſimul gratias habeo, quòd jam geminis gemellis tuis Bibliothecam meam augere atque ornare voluiſti.

Ac pro me fac (quæſo) DEVM preceris, ut quicquid id eſt vitæ quod ſupereſt mihi jam, benè ſit potius, quàm diu. Nam quomodo Fabula, ſic vita; non quàm longa, ſed quàm

bona & benè acta. Ego tibi pariter fausta omnia comprecatus (atque inter illa pono, ut *Plus semper apud te possit primorum sæculorum veneranda Antiquitas, quàm novella cujusquam institutio*) operam meam atque opem, ad, si quid hic tuo nomine curandum sit, prolixè defero. Sicubi autem liberius quid dictum, ignosces: de fraternâ interim in te charitate meâ certus, etsi alia omnia interdum censeam, nec immutatâ tamen quicquam, nec (si DEVS dederit) unquam immutandâ.

*FINIS.*

# *STRICTURÆ:*


# OR,

# A BRIEFE ANSWER TO THE

*XVIII. Chapter* of the first Booke of CARDINALL PERRON'S *Reply* written *in French, to* KING IAMES--*his Answer* written by Mr. CASAUBON in Latine.




*LONDON,*
Imprinted by *Felix Kyngston* for *R. B.* and *Andrew Hebb.* 1629.



# *The Beliefe of* CHRIST *in the Sacrament* ſub ſpeciebus. 1. I

O repreſent to us, the outward face and forme of the Church, in Saint AVGVSTINE's time, the Cardinall beginneth with *Qui Croyoit,* with a point of beliefe; and with *l'opinion avoit gaignee,* with matter of opinion. This, is to ſtumble at the threſhold. Points of faith or opinion (what men thinke or hold) ſeeme rather to pertaine to the inward parts, then to the *face* or exterior forme of the Church. The *face,* the outward forme of the Church is to be ſeene, as ſubject to the eye. Beliefe, or opinions are not; they, are within the breſt, *Corde creditur:* or within the braine, where opinions are bred. Sometime, they happen to be accompanied with ſome outward act; but then, in that caſe, that outward act is to be recounted, and not they. It is the Agend of the Church, he ſhould haue held him too. In that, is the *Face* of the Church, in outward acts; not, in inward conceits. His *Croyoits, Tenoits, Eſtimoits* are not, nor cannot be rightly termed *Traicts de viſage*; they are not viſible, as the viſage is.

And in this manner doth the Cardinall forget himſelfe, in a third part of his points, *viz.* this firſt, the viij. xiij. xvj. xviij. xxj. xxiij. xxvj. for which he alledgeth 42. places: all of them, beſide the purpoſe: they being *Tenets* only (as he termeth them) and no exterior Acts at all, which onely

lye open to the view, and come vnder the terme of the *face* or *viſage* of the Church.

a 2 To tell vs, out of *Zuinglius*, what was done in Saint AVGVSTINES time, is ſomewhat ſuſpicious. Saint AVGVSTINE hath written, no man more plenteouſly. Why heare we not, out of himſelfe, what was holden in his time? But the termes of *Sous les eſpeces* or *dans les eſpeces Sacramentailles*, it would poſe the Cardinall and all the whole Colledge, to find; they were euer heard or dreamt of in Saint AVGVSTINES time, or many hundred yeeres after.

3 For *Zuinglius*, The Cardinall well knoweth, that in the very ſame place (he citeth) Saint AVGVSTINE is three ſeverall times alledged by him, againſt the carnall preſence, *Viz.* his Preface upon the *III. Pſalme*, his *XXVI* and his *XXVII Homilie* upon IOHN. And if Saint AVGVSTINE were againſt it; what he held, might very well goe for the *Tenet* of his time.

4 If Saint AVGVSTINE were ſo judicious, and withall ſo godly a man, and (as ZVINGLIVS affirmeth) knew the truth, is it credible, that hee durſt not plainely utter the truth, who ſo plainely both ſpake, and defended the truth againſt the *Manichees*, *Pelagians*, *Donatiſts*, or whatſoever errour elſe prevailed in his Age?

The truth is, ZVINGLIVS was more afraid then hurt. It is well knowne, whether he leaned; that, to make this point ſtreight, he bowed it too far the other way. To avoid *Eſt* in the Church of Romes ſenſe, he fell to be all for *Significat*; and nothing for *Eſt* at all. And whatſoever went further then *ſignificat*, he tooke to ſavour of the *carnall preſence*. For which, if the Cardinall miſlike him, ſo doe we. And ſo, he doth not well (againſt his owne knowledge) to charge his opinion upon vs. But what Saint AVGVSTINE beleeved, and held in this Point, will appeare after, in the third Allegation of the next head following.

The

## The externall Adoration of the Sacrament. 4. 11

